


PALAESTRA

LATINA



ANN XXXV (Fasc. II) – N. 190
M. JUNIO – A. MCMLXV

PALAEESTRA LATINA

Trimestres litterarum latinarum commentarii CAESARAUGUSTAE edendi

PRETIUM MITTATUR OPORTET AD ADMINISTRATOREM:

San Antonio M.^a Claret, 37 - ZARAGOZA

vel ad Procuratores singularum nationum

Scripta ad Moderatorem: Conde, 2 - Barbastro (Huesca)

Constat in Hispania et America Hispanica: 80 pesetas; in Gallia: 10 francis; in Italia: 1.200 libellis; in Germania: 8 marcis; in Anglia: 15 solidis; in reliquis civitatibus, 2 dollaribus.

Depósito Legal L. - 12 1958

Editur Ordinarii et Superiorum permissu

INDEX

ANN. XXXV (Fasc. II) N. 190

M. JUNIO A. MCMLXV

J. M. JIMÉNEZ, C. M. F., <i>Fas - nefas, Fastus - nefastus</i>	49
J. M. MIR, C. M. F., <i>Nova et Vetera: Tempus aestivum</i>	57
J. MARINELLI, <i>Libri an auctores noxii, Paschalia, Hiemalia</i>	63
A. ALBERTINI, <i>Somnium tironis</i>	66
S. B. PEREIRA, <i>De Pompeiana Urbe</i>	73
J. MATTEOCCI, C. M. F., <i>Conloquia eucharistica inter Jesum eiusque amantissimum servum Antonium M. Claret</i>	77
N. MANGEOT, S. J., <i>Aurelius Augustinus</i>	79
J. ARAMENDIA, C. M. F., <i>Per Orbem</i>	85
BIBLIOGRAPHIA, <i>Molina, Jiménez, Aguirre, Aramendía</i>	87
RISUM TENEATIS	93
Aramendia, <i>Vetera nova fiunt. Joven, Dianthus. Martínez, Ad saltum equi. López, Campanula. Zabaleta, Tyrtaeus poëta. Mosaka, Titulus sepulcralis. Delgado, Gemmae tantum. Aguirre, Noli fidem somnis adjuungere. Alonso, Oraculi responsum. Aramendia - Molina, Armenti somniis... (cantilena).</i>	

PALAESTRA LATINA

LITTERARUM LATINARUM COMMENTARII
A SOCIIS CLARETIANIS EDITI

ANN. XXXV (FASC. II) — N. 199

M. JUNIO

A. MCMLXV

FAS - NEFAS, FASTUS - NEFASTUS

Qui primoribus tantum labris linguam latinam gustaverint, difficile sane plenum verumque horum verborum sensum percipient. De verbis enim agitur ad religionem pertinentibus, quae non semper praeterea unam eandemque significationem retinuerunt, sed eam, volventibus annis, ditavit aut variavit usus, “penes quem arbitrium est et jus et norma loquendi” (1).

Numa, consultissimus ille vir omnis divini atque humani juris —teste T. Livio— fastos dies nefastosque instituit, “quia aliquando —ut ipsius utar verbis— nihil cum populo agi utile futurum erat” (2). Quibus verbis Patavinus nobis profert nefastorum dierum sensum et naturam, ita ut nefasti dies ii sint in quibus nihil cum populo agi liceret, fasti e contra dies in quibus res cum populo agerentur.

Sed ut videamus num hic sensus proprius et primigenius sit atque revera veritati respondeat, prius opus est verborum quoque *fas* et *nefas* sensum apprime callere. Primum igitur ad eorum etymologiam intendamus animo, deinde varios apud scriptores classicos sensus attente perquiramus, usus denique et locutiones praecipuas investigemus, ita ut omnis horum verborum sensus et plena eorum significatio recte pateat. Unde tres partes hujus disquisitionis: de etymologia seu origine horum verborum, de semantica seu de multiplici eorum significatione, de eorum denique usu apud classicos scriptores.

Is — De horum verborum origine.

Verbum *fastus* adjективum nomen est a substantivo indeclinabili *fas* ortum, simili ratione ac *justus* a voce *jure* (*jus* in nominativo) provenit. Idem adjективum, in sensu negativo, est *nefastus*, compositum ex praeverbio negativo *ne-*, sicut *nefas* e simplici verbo *fas*. Jam vero *fas* ad verbum *fari* refertur et sensum

1) HOR., Ars Poet., 73.

2) LIV., 1, 19, 7.

quendam religiosum exprimit, ideoque habet cum verbo *fato* quandam consuetudinem, sive etymologicam sive semanticam; unde facile haec duo verba — *fas* et *fatum* — inter se convertuntur seu variari possunt. Exemplum habes apud Vergilium:

O dulcis conjunx? Non haec sine numine divum.
eveniunt; nec te hinc comitem asportare Creusam
fas, aut ille sinit superi regnator Olympi (3).

Servius in vergilianis commentariis optime notat verbum *fas* hic pro verbo *fato* usurpatum esse, quia quandoque, ut ipse Servius addit, haec duo verba *fas* et *fatum* eundem sensum habent.

Ipse Vergilius luculentius hoc ostendit cum in Aeneide cecinit:
Tendimus in Latinum, sedes ubi *fata* quietas
ostendunt; illic *fas* regna resurgere Trojae (4).

His enim duobus verbis —*fas* et *fata*— aptissime poeta mantuanus usus est ut manifestaret ea verba originem et sensum simillimum habere lectorumque animos et sensus excitaret ad deos, quorum *fatis*, *fas* fuit Trojanis in Latio sedes quietas regnumque in posterum invenire.

Unde revera *fas* et *fatum* ad *for*, *fari* referuntur, tanquam ad originem, et vim quandam religiosam exprimunt. Eundem originem habent et similem sensum adjectiva *fastus* et *nefastus*. Sed sunt alia quoque verba quae a verbo *fari* originem ducunt, ita exempli gratia, *fama*, *fabula*, *infandus*, *nefandus*, et probabiliter etiam *fanum*, *feriae*, *festus*, *infestus*. Ex his ultimis verbis non omnia habent sensum cum religione conjunctum, sed *fas* et *nefas*, *fastus* et *nefastus*, *fatum* et *fanum* sine ulla dubitatione sensum proprium et primum ad religionem spectantem praebent.

Jam vero qualis sit verus et germanus horum verborum sensus fusius inquiramus.

II. — De eorum verborum significatione.

In hac altera parte, ut res clarius pateat, imprimis opus est de sensu verborum *fas* et *nefas* pauca praemittere ac deinde de verborum *fasti* et *nefasti* sensu sermonem instituere. Unde duplex divisio erit.

1. De varia verborum fas et nefas significatione.

Verbum *fas* varios apud classicos scriptores habet sensus.

1) Sensus proprius et germanus est “permissio seu voluntas deorum, vi cuius aliquid permittitur aut vetatur; jus divinum juri humano oppositum”; *fas*

3) VERG., Aen., 2, 777-779.

4) VERG., Aen., 1, 205-206.

ergo opponitur *juri*, id est, humanis legibus; unde *contra fas agere* idem est ac “*ius divinum seu jus naturae violare*”. Recte igitur Isidorus noster: *fas lex divina est, jus lex humana* (5).

Hoc sensu classici scriptores *fas et jus simul* utuntur, ut ita magis eorum inter se oppositum sensum eluceat vigeatque. Exstant exempla plurima:

—an in Clodio, qui ita judicia poenamque contempserat, ut eum nihil delectaret quod aut *per naturam fas* esset aut *per leges liceret*? (6).

—festis quaedam exercere diebus *fas et jura* sinunt (7).

—legatos, sicut *fas jusque* est, ad socios atque amicos precatum mittemus, ne qua vobis vis fiat (8).

2) Interdum vero *fas* usurpatur *pro ipso Numine divino*, sive *Justitiam significans* sive *divinam Voluntatem*. Exemplum habes apud Livium:

—Audi, Juppiter, inquit, audite fines... audiat *Fas* (9).

3) Saepe vero, post Ciceronem praesertim, *fas* significat tantum quod quoquo modo licet vel possibile est, omni sensu religioso adempto. Exempla plurima apud scriptores latinos invenies, maxime apud Tacitum eique posteriores:

—Cives, cives, inquam, si eos hoc nomine appellari *fas est* (10).

—cur contra morem obsequii, contra *fas disciplinae* vim meditentur? (11)

—hostium quoque jus et sacra legationis et *fas gentium* rupisti (12).

Cf. etiam apud Tacitum: Ann. 2,10 *fas patriae*; Hist. 4,58 *fas armorum*.

4) Quae de verbo *fas* diximus, cadem, mutatis mutandis, dicere possumus de verbo *nefas*; habet enim varios quoque sensus:

a) Primarius et praecipuus sensus ad religionem spectat, sicut et *fas* et significat proprie *contra jus divinum agere, piaculum committere, sacrilegium facere*. Sic ex. gr.:

—Mercurius, quem Aegyptii *nefas* habent nominare (13).

—*nefas* quae triste piaret (14).

b) Sed hoc verbo significatur “scelus, nefandum, facinus”, ut patet his exemplis:

—illa dolos dirumque *nefas* in pectore versat / certa mori (15).

5) ISID., Etym., 5, 2, 2.

6) CIC., Pro Mil., 16, 63.

7) VERG., Georg., 1, 268-269. Servius hos vergilianos versus ita explicat: «divina humanaque jura permittunt, nam ad religionem fas, ad homines jura pertinent».

8) LIV., 7, 31, 2.

9) LIV., 1, 32, 6.

10) CIC., Pro Mur., 37, 80.

11) TAC., Ann., 1, 19.

12) TAC., Ann., 1, 42.

13) CIC., Nat. deor., 3, 56.

14) VERG., Aen., 2, 184.

15) VERG., Aen., 4, 563.

—in omne *nefas* ego me, germana, paravi (16).

c) Aliquando vero hoc verbum a classicis scriptoribus sermoni inseritur ut si de interjectione ageretur, et significat *malum*, *pessimum*, *scelus*, *adversarium*, *inaustum omen*. Sint haec pauca exempla:

—sequitur, *nefas!* Aegyptia conjunx (17).

—quosne, *nefas!* omnes infanda in morte reliqui / et nunc palantes video (18).

—clarus postgenitis, quatenus, heu *nefas* / virtutem incolumen odimus (19).

d) Saepe tamen verbum *nefas*, omni significatione religiosa vacuum, adhibetur ad rem exprimendam quae quacumque ratione fieri non licet aut nequit, quod facile exemplis comprobatur:

—quidquid non licet *nefas* putare (20).

—levius fit patientia / quidquid corrigere est *nefas* (21).

2. *De multiplici verborum fasti nefastique sensu.*

Fastus et *nefastus* sunt adjectiva verba quae ad dies praesertim referuntur et varios sensus, sicut et fas et nefas, tractu temporis, acceperunt. Videamus ergo quot et quinam sint hi sensus.

1) Atque primum omnium haec adjectiva sumuntur pro diebus in quibus licet aut non licet agi cum populo, ut T. Livius in loco antea laudato (22) refert. Inter alios scriptores qui huc afferri quoque possunt, Varro, Ovidius, Macrobius eundem fere sensum ac Livius exprimunt:

—VARRO: *Dies fasti* per quos praetoribus omnia verba sine piaculo *licet fari...*; *dies nefasti*, per quos dies *nefas fari* praetorem: do, dico, addico (23).

—OVIDIUS: Ille *nefastus* erit, per quem tria silentur; / *fastus* erit, per quem lege licebit agi (24).

—MACROBIUS: *Festi* [dies] sunt quibus licet fari praetori tria verba: do, dico, addico; his contrarii *nefasti* (25).

Jam vero dies fasti in tres species dividebantur: a) *Qui fasti proprie et omnino erant; proprie*, quia praetor semper lege agere poterat, nisi cum aliquis eventus seu casus intercedebat; *omnino*, quia per totum diem, id est, omnibus horis diei, lege agere licebat. Hi dies simpliciter fasti dicebantur et in calendario littera *F* signabantur.

16) OV., Met., 6, 613

17) VERG., Aen., 8, 688.

18) VERG., Aen., 10, 675.

19) HOR., Od., 3, 24, 30.

20) CIC., Parad., 25.

21) HOR., Od., 1, 24, 19-20.

22) LIV., 1, 19, 7.

23) VARRO, L.L., 6, 29, 30; id est., (judicem) do, (jus) dico (rem) addico

24) OV., Fast., 1, 47.

25) MACR., Satur., 1, 16, 14.

b) *Olii dies erant proprie sed non omnino fasti*, siquidem praetor his diebus lege agere quidem poterat, sed non omnibus horis, quia ad sacra negotia seu sollemnia intendere opus erat.

c) *Alii denique erant dies non proprie sed casu fasti*, ut, ex. gr., cum agebatur de iis diebus quae *comitiales* dicebantur, id est, in quibus comitia seu contiones populi habebantur. Cum his diebus, ex diversis causis, revera comitia non habebantur tunc praetori licebat lege agere. Unde hi dies interdum erant toti fasti, sed casu tantum; interdum vero solum ex parte fasti, cum comitia fiebant non toto die sed per alias tantum diei horas. Ergo Macrobius, hac fultus ratione, de hac re nos docet: "Comitiales sunt quibus cum populo agi licet; et fastis lege agi potest, cum populo non potest; comitialibus utrumque potest" (26). Unde comitiales dies ex parte saltem fasti quoque erant.

2) Cum vero fastis diebus non tantum lege a praetoribus ageretur, sed etiam contiones et comitia, immo et deorum sollemnia sacraque festa cum populo, ab omni laborum cura experti, celebrarentur, inde ortum est, ut *dies fasti pro festis* haberentur, ita ut, quemadmodum Paulus Diaconus, Festi breviator, aperte asserit, *fasti dies festi sint* (27). In cuius rei confirmationem exstat Ciceronis testimonium, qui in oratione contra Verrem (28) humanissime jocatur verbis "fastus et festus dies", significans iisdem unum eundemque sensum esse ascribendum. Ipse Cicero, in oratione in Pisonem (29), illorum dierum sui adventus reditusque memor, eos "quasi deorum immortales festos et sollemnes" vocat dies.

3) Animadvertis oportet dies nefastos non esse fastis diebus omnino oppositos, quia *plerumque nefasti dies festi quoque erant*, quamquam sine pompa et sine sollemni apparatu; religiosi tamen et sacri et festivi interdum habebantur. *Festis* diebus vere *opponuntur profesti* dies, id est, dies omnino festivitate vacui. Unde facile apparent inter *festum* diem et *profestum* eandem esse distinctionem atque inter *fanum* et *profanum*.

4) Sed *nefastus dies* plerumque sensum negativum exprimit, ut apud Horatium:

Ille et *nefasto* te posuit die; (30),
ubi *nefastus* idem sonat atque *infaustus*. Etiam apud Suetonium: "Cum diem quoque natalem ejus inter nefastos referendum suasisset" (31).

Hujus significationis ratio in eo est quod *nefasti dies*, quamvis religiosi, *sine ostentatione nec apparatu* celebrandi erant, ut nunc, ex. gr., in Ecclesia Catholicae liturgia, feriae quattuor temporum sive quorumdam festivitatum

26) MACR., Satur., 1, 16, 14.

27) PAUL. Fest., 78, 5.

28) CIC., In Verrem, 2, 4, 151.

29) CIC., In Pis., 22, 51.

30) HOR., Od., 2, 13, 1.

31) SUET., Tib., 53.

vigiliae; et quia sine magnificentia celebrabantur, dies lugubres et tetri visi sunt. Unde nihil mirum, si *nefasti dies* etiam significantur *tetri, lugubres, infausti, funesti, miseri, inauspicati, inominales, atri*. Ad hanc significationem confirmandam ansam praebuit quod dies a populo romano clade aliqua insigni vel publica calamitate infausti sollemnibus supplicationibus, precibus, socris quibusdam celebrabantur et in calendario inter nefastos dies littera N recensabantur; ita, ex. gratia, dies Alliensis, ut ex T. Livio constat, cum ait: “Tum de diebus deligiosis agitari coeptum, diemque a.d. XV Kal. Sextiles, duplii clade insignem, quo die Cremeram Fabii caesi, quo deinde ad Alliam cum exitio urbis foede pugnatum, a posteriore clade Alliensem apellarunt, reique nullius publice privatimque agendum fecerunt” (32). Nefasti ergo dies erant ab omni re publice privatimque agenda vacui, sicut et dies fasti, ideoque *nefasti dies fuerunt quoque festi* (33).

Quam appellationem Aulus Gelius imperitis hominibus tribuit: “Multitudinem imperitorum prave et perperam *religiosos dies appellare nefastos*; fortasse quia credidit ad praetorem respicere jus dicentem” (34). Sed hic sensus, quavis ab imperitis ortum, post classicos scriptores maxime viguit.

5) Demum, quia dies fasti et nefasti, qui ad religionem vel ad jus praetorum aliquo modo spectabant, in tabulis seu libris a pontificibus describebantur, adjectivum *fastus substantive sumptum est*, ita ut vox “*fasti, fastorum*” libros sive tabulas significaret ubi festa sacra continebantur, eodem sensu ac “festivitatum calendarium”. Hac ratione Ovidius *Fastorum* nomine inscripsit librum in quo festa seu sollemnia deorum accurate describit; cui significationi congruit Paulus cum, ex Festo, *Fastos* definit hac ratione: “*Fastorum libri appellantur in quibus totius anni fit descriptio*” (35).

Decursu tamen temporis hoc nomen largiore sensu acceptum est, ita ut significaret sive praecipuorum magistratum seriem sive rerum notabilium quae in anno eveniebant annales sive res quascumque memorandas. Hinc varia genera fastorum: *Fasti Consulares, Fasti Triumphales, Fasti Censorii, Fasti Praetorii, Fasti Arvalium, Fasti Hispani, Fasti Capitolini, Fasti seu Annares Maximi*, de quibus nugator Cicero asserit nihil esse posse jejunis (36).

Vox ergo *fastus*, substantive sumpta, tanta libertate usurpata est ut non tantum rem memorabilem sed et congeriem seu compilationem cujuscumque rei designaret. Hac ratione Paulus Orosius in proemio Historiarum adversus paganos ausus est scribere: “Ex omnibus historiarum atque annalium *fastis...*” (37). Sed ipse Horatius:

32) LIV. 6, 1, 11.

33) A. BOUCHE-LECLERCQ, s. v. «*Fasti*» in Dict. des Antiquités Grecques et Romaines.

34) GELL., 4, 9 et 5, 7.

35) PAUL. FEST., 78, 4.

36) CIC., Leg., 1, 2, 6.

37) OROS., Hist., Prol., 10.

- notis condita *fastis* / inclusit volucris dies (38)
- Auguste, virtutes in aevum / per titulos memoresque *fastos* / aeternet (39).
- tempora si *fastos* / que velis evolvere mundi (40).

III. — De eorum verborum usu.

Longius quam putaveram in altera parte processi; brevissime igitur hanc tertiam partem absolvam. Pauca tantum notabo praesertim de usu verborum *fas* et *nefas*.

1. *Fas et nefas* adhibentur modo impersonali, sicut opus, mos, jus, *cum propositione completiva infinitivi modi*. En tibi aliqua exempla:

- si dici *fas* est (*Liv.*, 23, 42, 4).
- nefas* est dicere (*Cic.*, *Leg.*, 2, 7, 16).
- Te velim tua in me studia et officia multum tecum recordare. Quae, cum tibi liceat, mihi *nefas* sit oblivisci (*Cic.*, *Fam.* 15, 21, 5).
- Neque dicere *fas* erat neque facere (*Tac.*, *Dial.*, 28).
- Non est *fas* Germanos superare (*Caes.*, *De B.G.*, 6, 23, 9).
- Vix ut referri audirive, nedum credi *fas* sit (*Suet.*, *Tib.*, 44, 1).

2. *Fas et nefas*, sicut opus aut adjectiva facilis, difficilis, incredibilis, *cum supino passivo conjuncta* saepe invenimus. Ex. gr.:

- nefas* est dictu miseram fuisse talem senectutem (*Cic.*, *Cat. M.*, 13).
- humanus autem animus... cum ipso deo, si hoc *fas* est dictu, comparari potest (*Cic.*, *Tusc.*, 5, 13, 38).

Apud Plautum et Terentium haec constructio cum supino passivo saepe usitata apparet; raro apud Catonem; Cicero vero, Sallustius, Livius, Seneca philosophus, Plinius Naturalis Historiae scriptor, Tacitus eam libenter adhibent, sed saepe saepius cum supino *dictu*; tamen *fas auditu* (*Tac.*), *nefas visu* (*Ov.*), *indignum relatu* (*Liv.*), *alia adnexu idonea* (*Sall.*, *Hist.* 3, 35); rarissime apud Caesarem, Varronem, Nepotem (41).

3. Ad omne jus expressius, et humanum et divinum, significandum, *fas apponitur interdum* juri vel legibus, sic ex. gr.:

- jus* et *fas* omne delere (*Cic.*, *Att.* 1, 16, 6).
- oratores contra *fas jusque* interfectos (*Cic.*, *Harusp. resp.*, 16, 34).
- sicut fas jusque* est (*Liv.*, 7, 31, 2).
- quod aut per naturam *fas* esset aut per *leges* liceret (*Cic.*, *Mil.*, 16, 63)

38) HOR., Od., 4, 13, 15.

39) HOR., Od., 4, 14, 4.

40) HOR., Serm., 1, 3, 112.

41) KUHNER-STEGMANN,, Ausführliche Grammatik. Satzlehre, 1, p. 725 (Leverkusen, 1955); LEUMANN-HOFMANN-SZONTYR, Lateinische Grammatik, II Syntax und Stilistik, p. 328, n. 205 (München Beck Verlag, 1963).

4. *Fas et nefas aliquando inter se opponuntur.* Qua ratione loquendi significatur nullum fieri discriminem inter aequum et iniquum, inter honestum et dishonestum, inter jus humanum aut divinum, sed quiquid agere qui vult illud et super omnes et super omnia agendum. Exemplum habes apud Ovidium (42):

Nec flere vacat, sed *fasque nefasque*
confusura ruit.

Etiam apud Vergilium:

quippe ubi *fas* versum atque *nefas*, tot bella per orbem,
tam multae scelerum facies, non ullus aratro
dignus honor (43).

5) Interdum occurrit locutio *per fas et nefas*, vi cuius significamus voluntatem aliquid omni modo faciendi, vel jure vel sine jure, uti videri licet apud T. Livium: "Id vero ita accendit animos, ut *per omne fas ac nefas* secuti vindicem libertatis viderentur" (44).

6) Demum notatu dignum est *adjectivum nefastus* saepe *saepius usurpatum esse pro nefando*, iniquo, impio, scelerato, funesto, ominoso, infausto. Exempla hujus rei sunt plurima. Satis sit haec pauca afferre:

—ne qua terra sit *nefasta* victoriae suae (45).

—Cum diem quoque natalem ejus inter *nefastos* referendum suasisset (46).

—prolibare diis *nefastum* habetur vina vitis fulmine tactae (47).

IV. — Conclusio.

Jam vero ad finem tractationis pervenientibus, liceat nobis haec pauca adjicere, ut quae prius longe lateque diximus, paucis verbis persolvamus et ad unum constringamus:

I. — Voces *fas et nefas*, *fastus et nefastus*, ad verbum *for / fari* referas oportet, cum aliis vocibus ex eodem fonte manantibus.

II. — Sensus primigenius et germanus horum vocum quandam affinitatem cum religione exprimit; sed usus, decursu temporis, sensum ditavit, contraxit, variavit, ita ut classici scriptores latini etiam ad res non sacras his vocibus uterentur.

III. — Diverse usurpatas has voces invenimus sive cum propositione infinitivi modi sive cum supino passivo. Ceterum *fas et jus*, *fas et nefas* juxta apponuntur, ut horum vocum vis sensusque magis eluceat. Denique verbum *nefastus pro tetro et infausto* plerumque adhibetur.

Quae omnia, sive quae ad usum sive quae ad sensum horum verborum attinet, plurimis exemplis superioribus paginis confirmata, vobis invenire licebit.

J. JIMÉNEZ DELGADO, C.M.F.
In Pontificia Universitate Salmanticensi Professor
SALMANTICAE (in Hispania)

42) OV.. Met., 6, 585.

45) LIV., 6, 28, 8.

43) VERG. Georg., 1, 505.

46) SUET., Tib., 53.

44) LIV., 6, 14, 10.

47) PLIN., Nat. Hist., 14, 19 ,23.

NOVA ET VETERA

TEMPUS AESTIVUM

1. Sicut hominum vita a prima infantia in dies roboratur atque firmatur usque ad constantem aetatem, qua homo in flore juventutis constitutus operos perficere potest labores ac fructus ingenii et manuum percipere, sic anni cursus progreditur et ridentes veris flores, adventante aestate, in fructus mutantur: “Transit in aestatem post ver robustior annus” (*OVID. Metam.*, 15,207).

Ac tota quidem natura maximo vigore et robore ornata conspicitur: sol diurniores dicit dies, qui maximo calent aestu; caelum sudum appetet, nisi repentina cooriatur tempestas et imber ruat; noctes breviores flunt; lenis aura diem recedentem refrigerat umidamque parat noctem; stellae circum magnum aetheris axem placide volvuntur et astra fixa fulgenti splendent lumine: ut rident hominibus aestiva nocte vagantia sidera!...

2. Matura segetes albentes aristas inclinant, quae messorum ⁽¹⁾ falcibus cedant: triticum ⁽²⁾, siligo ³, robus ², far ³, hordeum ⁴, avena ⁵, secale ⁶ falce messoria ⁽⁸⁾ ⁷ aut faenaria ⁸ metuntur, aut, nosira praesertim aetate, machina messoria ⁹. Manipuli ⁽²⁾ ¹⁰ vinciuntur atque in manipulorum cumulos ¹¹ glomerantur. Area deinde paratur et ingenti cylindro ¹² solidatur; plaustris mergites ¹⁰ in aream advehuntur, et equorum aut mulorum rapido cursu incipit tritura; rusticus tribulo ¹³ insidens vehitur, et sub vesperum, cum ventus perflat, ventilabro ¹⁴ triticum et palea ventilantur ¹⁵ ut secernantur; vanno ¹⁶ tandem frumentum aceribus ¹⁷ et arenulis purgatur.

Quae tamen omnia superioris erant aetatis; nostra vero, machina tritoria ¹⁸ aut messoria tritoria ¹⁹ perficiuntur. Triticum et aliae segetes postea in horreum ²⁰, in sirum ²¹, in granarium ²² asservantur ad panem conficiendum, ad animalium pabulum, ad nova semina.

3. Alias quoque fruges, legumina, olera “fundit humo justissima tellus” (*VERG. Georg.*, 2, 460): oryzam ²³, tubera solani ²⁴, phaselos ²⁵, cicera, pisa ²⁶, spinacias ²⁷, betas ²⁸, betaceos ²⁹, caepas ³⁰, allia, lycopersica ³¹, melongenas ³², brassicas; atque arbores, fructibus onustae, laetae agricolis poma porrigunt; cerasa, mala, pira, mala persica ³³ et armeniaca ³⁴, pruna ³⁵, ficos prodromos ³⁶, cum fragis ³⁷ rubis ³⁸, melonibus ³⁹, citrullis ⁴⁰ ceterisque.

4. Medio mense augusto venandi facultas datur. Et Albertus venator ⁽¹²⁾ prima solis luce surgit e lecto, vestem induit expeditam, interdum pluviale ⁴¹; calceat sibi perones ⁴² vel ocreas ⁴³ aptat calceis, caput obtegit petaso ad solis

⁽¹⁾ His notis imaginis numeri signantur.



calorem temperandum, sclopetum [“] duobustubis ^(*) [“] instructum absterget et parat, reticulum ^(*) [“] umeris imponit aut e sinistro latere suspendit, capsularum cinctorio ^(*) [“] succingitur, et cane venatico ^(*) [“] comitatus, loca montana, valles, nemora petit ubi cuniculi et lepores ^(*) in perfugiis placide quiescent, et perdices, coturnices, palumbes nidos texerant et eorum pulli prope vagantur.

5. Olim venatores venabulis, arcu, sagittis praedam aucupabantur, nunc autem armis ignivomis [“]. Quae ita parantur: sclopetum cucullis pyriis [“] oneratur [“]: ii vero referti sunt pulvere pyrio [“], interjectis globulis plumbeis [“]; concutitur seu adducitur [“] catulus [“], qui percussorem [“] movet et capsulae fundulum [“] ferit; hic vero percussoris ictu ignem concipit atque pulveri pyrio in capsula condito communicat; cucullus pyrius displodit ^(*) [“] et magna vi globuli plumbei in praedam emituntur. Si recte speculatus eris ^(*) [“] et a te rite erit collineatum [“] —ut Albertus fecit—, praeda percussa in terram decidet eamque canes investigabunt atque odorabuntur [“]. Ex venatione lautae cum amicis instruuntur epulae.

6. Parvuli quoque venatores aves insequuntur easque amite [“], illice [“], pedica [“], transenna [“] aucupando delectantur.

7. Sunt qui piscatui magis quam aucupio indulgere malint; ut Arcturus ^(*) qui tempore matutino harundinem ^(*) [“] sumit, lineam [“] hamo [“] instruit, cui escam [“] infigit, et longo tempore stans piscium —quos in qualo ^(*) [“] recondat— exspectat adventum et morsum; alii nassis [“] seu sirpiculis piscatoriis ad ripam fluminis appositis piscantur; qui tamen ex pescatione vivunt, cymbalam condescendunt, et medio mari, in piscina, in flumine, nocturno in primis tem-

pore, everrucula ⁷⁰ tendunt, quae post aliquot horas piscibus onusta levant adsportantque ad ripam.

8. Hac etiam tempestate corpus lavare et refrigerare maxime juvat. Multi cottidie domi lavantur in balneo, labro ⁷¹ instructo, aut lavatione pluvia ⁷²; alii cum calor invalescit, praesertim vero post deambulationem per pineta, per montium cacumina, descendunt in lacum, in piscinam, ad maris litus, ubi natantes refrigerantur. Cauto tamen opus est, ac mare altum (¹⁶) et loca praerupta et directa (¹⁴) fugienda, quo inconsulte accedentes haud pauci perierunt. Haec loca gaviis (¹⁶) ⁷³, navibus lusoriis (¹⁸) ⁷⁴ animosisque nautis (¹⁷) relinquenda sunt.

Thermae ⁷⁵ quoque curationis causa frequentantur.

In balneis publicis apodyterium seu vestiarium ⁷⁶ est, ubi vestes cottidianas hujus gymnadiis ⁷⁸ studiosi ponunt quae custodiantur, et veste balnearia ⁷⁹, semicinctio ⁸⁰, subligaculo balneario (²⁴) ⁸¹ induuntur.

9. Tandem, ut calorem et sitim aestate depellamus, frigida appetimus: domi alimenta in frigidario ⁸² reponimus ne corrumpantur; aqua et vinum mensis cum gelu aut gelida apponuntur; et per diem nobis in deliciis sunt patiunculae frigidae ⁸³ et refrigerantia (³⁰) ⁸⁴: ut cervisia ⁸⁵, gaseosa ⁸⁶, siphon (²⁸) ⁸⁷, citronea ⁸⁸, aurantina ⁸⁹, sicera ⁹⁰ —neque deerunt nostrae aetatis cocacola ⁹¹ et pepsicola ⁹²—.

Inspice Damasum (²²) cibiferum ⁹³ has potionis (³⁰) assidentibus (²⁹) ad thermopolium ⁹⁴ vel cafeariam ⁹⁵ benigno aspectu deferentem; quas fortasse et in domo tua sollicita mater in machina refrigeratoria ⁹⁶ amicis apponendas sedulo servat.

Sed illae gelatae cuppediae ⁹⁷ et niveae floris lactis sorbitiones ⁹⁸ (²⁶), ad quas laudando et clamando Thomas (²⁶) caupo refrigeratorius ⁹⁹, pueros allicit invitatque: —eas, ut scitis, ex massa in refrigeratoria (²⁷) ¹⁰⁰ asservata conficit fabricaturque raptim— jam vobis salivam movent.

Dum talia gustatis et laeti ferias aestivas agitatis, optimi pueri et adulescentes, plurimum relaxate animum, “ut is aptior ad cogitandum redeat vobis”.

VERBORUM INDEX

1 siligo, inis f.	trigo candeal
2 robus, oris n.	trigo rubiόn
3 far, farris n.	escanda
4 hordeum, i	cebada
5 avena	avena
6 secale, is n.	centeno
7 falx messoria	hoz
8 falx faenaria	guadaña
9 machina messoria	segadora (máquina de segar)
10 manipulus, i merges, itis f.	haz, gavilla

11	manipulorum cumulus	hacina, fascal
12	cylindrus, i	rodillo
13	tribulum, i	trillo
14	ventilabrum, i	bieldo
15	ventilare	aventar
16	vannus, us f.	criba
17	acus, eris n.	granza
18	machina tritoria [trituratoria]	trilladora
19	machina messoria tritoria [trituratoria]	cosechadora
20	horreum, i	troje, granero
21	sirus, i	silo
22	granarium, ii	granero
23	oryza, ae	arroz
24	tuber solani	patata (el tubérculo)
25	phaselus, i	judía, alubia
26	pisum, i	guisante
27	spinacia, ae	espinaca
28	beta, ae	aceituna
29	betaceus, i	remolacha
30	caepa, ae [caepe, is, n.]	cebolla
31	lycopersicum, i	tomate
32	melongena, ae	berenjena
33	malum persicum	melocotón
34	malum armeniacum	albérchigo
35	prunum, i	ciruela
36	ficus prodromus	breva
37	fraga, orum pl. n.	fresas
38	rubus, i m.	framuesa
39	melo, onis m.	melón
40	citrullus, i	sandía
41	pluviale, is n. vestis impluvia	impermeable
42	pero, onis, m.	bota
43	ocrea, ae	polaina
44	sclopetum, i manuballistula, ae	escopeta
45	tubus, i canna	cañón de escopeta
46	reticulum, i	morral
47	capsularum cinctorium	cartuchera
47'	canis venaticus	perro de caza
48	arma ignivoma	armas de fuego

49	cucullus pyrius	cartucho
	capsula pyria	perdigón
50	onerare	cargar
51	pulvis pyrius	pólvora
	pulvis nitratus	
52	globulus plumbeus	perdigón
53	concutere	apretar
	adducere	
54	catulus	gatillo
	ligula	
55	percussor, oris, m.	percutor
56	fundulus, i	pistón
57	displodere	disparar
58	speculari	dirigir la mira, tomar el punto de mira.
59	collineare	apuntar, dirigir el arma
60	odorari	husmear, rastrear con el olfato
61	ames, itis, m.	palo, horquilla para tender la red.
62	illex, illicis, m.	reclamo
63	pedica, ae	cepo
64	transenna, ae	trampa, lazo
65	harundo, inis f.	caña de pescar
66	linea, ae	hilo (atado a la caña de pescar)
67	hamus, i	anzuelo
68	esca, ae	cebo
68'	qualus, i	cesto
	sirpiculus, i	
69	nassa, ae	nasa, cesta para pescar
	sirpiculus piscatorius	
70	everriculum, i	red barredera
71	labrum, i	bañera
72	lavatio pluvia	ducha
73	locus praeruptus et directus	acantilado
74	gavia, ae	gaviota
	larus, i	
75	lusoria, ae	yate
	[navis lusoria]	
76	thermae, arum	aguas termales
77	apodyterium, ii	guardarropas, ropero
	vestiarium, ii	
78	gymnas, adis f.	deporte
79	vestis balnearia	bañador, traje de baño
80	semicinctum, ii	calzoncillo de baño

81	<i>subligaculum balnearium</i>	<i>taparrabo.</i>
	<i>subligar, aris n.</i>	<i>fresquera, depósito para conservar fresco</i>
82	<i>frigidarium, ii</i>	
83	<i>potiuncula frigida</i>	<i>bebida helada, helado</i>
	<i>potio gelida</i>	<i>refresco</i>
84	<i>refrigerans, ntis</i>	
	<i>[potio refrigerans]</i>	<i>cerveza</i>
85	<i>cervisia, ae</i>	
86	<i>gaseosa, ae</i>	<i>gaseosa</i>
87	<i>sipho, onis m.</i>	<i>sifón</i>
88	<i>citronea [potio]</i>	<i>limonada</i>
89	<i>aurantina, arantina [potio]</i>	<i>naranjada, orange</i>
90	<i>sicera, ae</i>	<i>sidra</i>
91	<i>cocacola, ae</i>	<i>cocacola</i>
92	<i>pepsicola, ae</i>	<i>pepsicola</i>
92	<i>cibifer, erim.</i>	<i>camarero</i>
	<i>puer cauponarius</i>	
93	<i>thermopolium, ii</i>	<i>bar</i>
94	<i>cafearia</i>	<i>café</i>
94	<i>refrigeratoria, ae</i>	<i>cámara frigorífica [heladora]</i>
84'	<i>refrigeratoria, ae</i>	
	<i>machina refrigeratoria</i>	
95	<i>cuppedia gelata</i>	<i>sorbete, helado</i>
96	<i>nivea floris lactis sorbitio</i>	<i>helado de nata</i>
97	<i>caupo refrigeratorius</i>	<i>heladero, sorbetero, vendedor de helados</i>

J. M. MIR, C.M.F.
 In Seminario Claretiano Professor
 Cervaricae ad Ilerdam
 (In Hispania)

C A R M I N A

LIBRI AN AUCTORES NOXII?

*De graviore die solido si forte remitti
Pars animum patitur
Vel minima, aut minui consueta negotia saltem,
Huc mihi dum effluere
Libera jam tandem mens illuc coepit ubique,
Specto aliquando meos,
Multiplici positos forulis ex ordine, libros;
Quibus ego, patriis
Blanditiis usus, loquor; et mihi verba vicissim
Multa referre solent,
Vocibus et variis, illi; quos, tanquam animantes,
Et genuere patres
Ingenio, haeredes super et sapientiae eosdem
Instituere suae.
Vitreæ scintillas armaria lucida reddunt
Per nitidos pluteos:
Non leve prorsus nec dubium sapientiae in illis
Indicium videas.
Non arcana quidem libri, sed vera loquuntur,
Saepius et tacite.
Seu niveo aut pullo, seu tegmine squalido amicti,
Seu placidi aut rigidi,
Tristes aut hilares, praesto suam opem usque daturi
At mihi sunt inopi.
Ex illis aliquis licet improbus inveniatur,
Qui insidias tacitas
Miscuerit verbis, in meum nunquam ferar ipse
Viperea rabie:
Nam sapientiam ei simul atque aconita dederun
Fraude dolove patres!*

P A S C H A L I A

*Est vetus semper, novus iste semper
 Quo dies stravit Deus, ut Goliam
 David olim, illum tenebrosi Averni (1)
 Principem iniquum.*

*Compedes mortis tumulique saxum
 Proicit; praedam, vehemens sepulcro (2)
 Christus erumpens, rabido ut leoni,
 Eruit hosti.*

*Est Redemptoris lapis obvolutus,
 Restitutoris Novi imago Templi, (3)
 Perfidi illi quem male jam improbarunt
 Aedificantes. (4)*

*Heu, miser, qui tunc lapidem hunc sprevit! (5)
 Namque fundamen cecinit propheta,
 Anguli factum caput, hunc futurum
 Mox lapidem esse.*

*Angularis ceu lapis ipse Christus
 Universi Aedem generis tuetur;
 Filios praelo reficit rubescens
 E cruce botrus (6)*

*Sic tuendi Aedem, per Apostolorum (7)
 Ordinem, munus peragens Redemptor,
 Ut sacerdos id peragat perenne (8)
 Censem in aevum.*

*O dies felix! siquidem et fideles (9)
 Filios Christi recreat simulque
 Alterum Christum facit atque eodem
 Munere mystam!*

(1) David est figura Christi, quod verbum latine redditum significat-fortis manus.

(2) Praedam = Adami pogonies, quam Deus cum primo parente in Inferos detrusit.

(3) Christus ipse praedixerat se, tribus post mortem diebus, templum, Jam dextructum, raedificaturum.

(4) Jesus Phariseos alloquitur: «...lapidem, quem reprobaverunt aedificantes, hic factus est in caput anguli» (Ps. CXVII, v. 21; - Math. XXI, 42).

(5) «...et qui cecident super lapidem istum, confringentur; super quem vero cederet conteret eum» - Matth: ibidem.

(6) Praelum, seu torcular, idem atque crux est; botrus idem atque Christus, quem praelum premit; Sanguis idem ac vinum, quod e cruce defluit.

(7) Apostoli totidem Aedis petrae sunt.

(8) Quisque sacerdos Apostolorum successor est.

(9) Dies felix = dies ferax, qui vitam recreat.

H I E M A L I A

*En unquam glacialis, quae jam tamdiu in aegros
 Saeviit atque inopes, haec minuetur hiems?
 At magis —indignum— magis immo augetur in horosi
 Caeruleum quisnam solis iter meminit?
 Immensum polus en atrum densumque colorem,
 Ravum, diffundit per vacuum ut cineris.
 Et gelidus resonans ventus per tecta cietur.
 Rustica pauperis et turbinis illi aditum,
 Cardine dissultis foribus, nulla casa pandit
 Clusa sera; strepit et culminis in tenero
 Cespite et arboreos ramos rabidus quatit horti.
 Albicat hic ager, hic candida jam niveo
 Vellere facta via: et levis ante, quasi albula inertis
 Pluma nivis, glacies mox silicesque dolat
 Mox rimosaque strata suit, dissuta tapeta.
 Vix rhedam videas, cui rota jam celeris
 Obstrepat, aut lapides terrae gravi equum quatientem
 Ungula; hic auribus, hic tempora et ore tenus,
 Corpus et ille operit rugosa pelle viator.
 At me jam tenet, heu prima senecta domi:
 Non mihi parva domus neque luce carens; patriosne
 Ipse penates nunc, si sine sole dies,
 Aut si reddit opacam obducta pruina fenestram,
 Contemnam? Aerumnas ipse hiemis patiar!
 Non animum reficit neque sumpta meri patera aufert
 Curas, suavia nec somnia dat focus.
 Post complura volumina me parva en cathedra haurit:
 In Dei honorem hymnis carminibusque canam.*

S O M N I U M T I R O N I S

(*In Certamine Capitolino XI anno MCMLX
Romae habitō publica laude est ornatum*)

Anno praeterito, cum annuus haberetur dilectus et ego quoque, aetate militiae aptus, respondere deberem, ad conqueritorem veni; probatus et conscriptus sum. Itaque, litterarum studia Ciceronemque vestimento militari et missili ferro mutare coactus, ubi dies venit, parentibus valere jussis, Cremonam, quo imperaverat tribunus militum, in disciplinam militiae proficisci festinavi.

Cum eo pridie, quam debebam, pervenissem, urbem tam antiquam, tam multis iisque splendidis aedificiis ornatam, tot denique mercaturis florentem visere statui. Nec solum —fateor— antiquitas et res severae me ad visendum invitabant, sed etiam recentiora et vulgaria illiciebant, ut mellita crustula, farcimina, tomacinae; quibus rebus Cremona non minus laudis, quam Baldesiana illa virtute sibi peperit.

Curiose igitur ea omnia visitavi, quae admiratione maxime digna esse acceperam: curiam, sive domum publicam, quo decuriones Cremonenses saepe conveniunt de magnis rebus deliberatur; porticum, quae vocatur, militum; baptisterium, cuius figura, ut aliorum multorum, octangula est; domum Dei, amplam quidem et pulcherrimam, quam mira cum delectatione admiratus sum, omnia oculis perlegens. Frons maxima albo rubro vario saxo quadratos fulget magnisque oculis seu rosis et signis marmoreis et ambulatione et portico exornata est; quamquam in tam pulchra fronte hoc fortasse reprehendas, quod veteri novum fastigium aetate recentiore parum eleganter impositum est cum aediculis et statuis et tympano, unde turris parva eminet, quae vulgo “il torrazzino” vocatur.

Succedo prothyro. In foribus, immo in postibus fatidici vates, prophetae Christi, bini dextera, bini sinistra, alter alteri superimpositus, stant rigidis oculis et manibus et crinibus (funicolos dixerim, non capillos) et rugis et sinu vestium; unus enim ex discipulis Wiligelmi ea excudit et antiquitate signavit.

Intus vero domus, opere tectorio egregium in modum exornata, auroque et formis splendet et varietate colorum fulget.

Turrem sacram, praeter modum excelsam, secentis gradibus superatis ascendi. Inde longus est camporum Padanorum prospectus, nisi forte, quod non raro fit, nebula orta est. Haec turris est una ex iis tribus rebus mirabi-

libus, quibus Cremona recte et jure gloriari solet; altera est assula tostis amydalais aut Abellanis nucibus et melle et albo ovi condita; tertia est feminarum propria: puellas Cremonenses venustate et forma florere significat atque testatur.

Cum in summa versarer turri et omnia desuper late spectans mirarer, offendit nares meas odor taeter atque novus; nam prope urbem, non procul a ripa Padi, sunt officinae terrae, seu petrae, oleo purgando et magna castella servando. "Metani" quoque magna copia aero ducta, sive tubo, trans Padum traducitur, sed "metani" nullus est odor.

Postquam descendи, vicos urbis angustos quidem, sed satis honestos percurrentes, ad Sancti Augustini veni, deinde ad Sanctae Agathae et ad alteram domum publicam, quam "Civitatem novam" vocant.

Hic spectanti mihi occurrit vir egregius, antea in Mediolaniensi, nunc in Cremonensi Gymnasio doctor. Qui humanisime: "Unde? Cur Cremonam?".

"Ut acer miles ex tranquilo scholastico fierem cum magno quidem detimento litterarum Italicarum et Latinarum, sed cum securitate publica et salute civium, quibus in posterum nihil metuendum."

Risit. Postquam omnia aperui: "Ut commodo, inquit, et tuo et meo colloquamur, supremo sole modica patella, non sine sale apud me cenabis". Et erat is, qui cum severis litteris lepidissimum sermonem salesque conjungeret. Promisi.

Pergere properavi —nam parum temporis relinquebatur— ad Museum civicum, quod acceperam permultis iisque pulcherrimis et tabulis et signis et vasis et supellectile omnis aetatis abundans. Sed —quod est meum studium— praecipua admiratione sum captus earum rerum, quae ad aetatem Romanorum Cremonamque antiquissimam pertinebant.

Nam proposita erant aliquot pavimenta tessellata, ex diversis regionibus urbis collata, fictilia, sigilla aenea, lateres cocti, tegulae, fragmenta aut coronaе aut liminis summi, aliquot nonnulli etiam tituli. Tabula alba, parieti affixa, pendebat: ibi forma Cremonae antiquissimae descripta erat: viae, ut castrorum Romanorum esse solebant, directae ad perpendiculum, vici inter se ita compositi, ut figuram quadrati redderent; alluebat Padus, qui nunc procul ab urbe fluit; hinc via Postumia (triste, infelix nomen!) Bediacum ducebatur, hinc Brixiana, hinc Laudensis...

Multitudine rerum tandem moveor. Ajebam tacitus. "Haec fuit illa nobilis colonia, quae T. Sempronio Longo P. Cornelio Scipione consulibus condita est; quo sex milia colonorum cum suis familiis deducti sunt, ut id esset munimentum imperii populi Romani et adversus Gallos, Padi accolias, omnesque transalpinas minas aut iras propugnaculum; quam laedere bella non potuerunt externa, civilia potuerunt".

Cum defixis oculis insatiabiliter et, locos antiquorum scriptorum revocans, omnem rerum memoriam repeterem, tandem eo stupore excussus sum ab hospite meo, qui cum inopinatus adesset, simulata severitate: "Ohe, inquit, satis ista dum spectas moratus es; non enim temporum ordinem remeaturus es et ad antiquos revolaturus! Nunc ire cenatum tempus est; jam apposita sunt oluscula..." Arridebat leniter, nictabat etiam, urbane significans fore ut meliora quam olera cenaremus.

Cena laute apparata erat. At mihi in animo defixa erant ea quae in Museo videram aut mecum reputaram; totam vesperam ea recogitavi, cetera neglegens. Antiquitatis studium fecit ut hospiti ejusque uxori liberisque insulsus aut inhumanus viderer. Cum dormitum issem, somno gravi sum captus, quippe qui tam multa visendo, tam saepe ascendendo aut descendendo, consistendo aut procedendo, defatigatus essem et copiose neglegenterque pransus ante tempus cubitum discessissem.

In somno, omni aetate annorumque serie remeata, mihi visus sum gregarius miles, scuti et gladii jactatione paulum tardatus, asperum iter modo sentibus horridum modo luto corruptum facere; urebat pedem caliga, galea ab humero pendebat dextro; in summa hasta sarcinulam et vasa gestabam. Vix illucescebat et nebula campo densior sederat.

Videbamur alii spem fiduciamque eundi alii timorem et sollicitudinem vultu et sermone ostendere.

"Brevi, Quinte, ad ripam Padi pervenietur; quare opportunitas lavandi dabitur". Nam ille sudore madens atque anhelans procedebat.

"Tu, Marce, ut soles, cogitatione festinas: Padus ad ultimas terras recessit".

"Peditum pessima condicio".

"Caballo certe miles melius vehitur aut carro. Ut semper, tamen veniemus, quo ducimur".

"Ducimur ad protegendos triumviros. Campi cis et trans Padum viritim assignandi; centuriatione facta, sex milibus colonorum Placentinus, totidem Cremonensis est dividendus. Bina jugera singulis dabuntur; satis camporum est in Gallia, satis aquae ad ubertatem soli augendam, satis arborum ad lignandum et materiae ad aedificandum. Gallia Cisalpina flos ac robur Italiae erit".

"Qua Padus traici possit, videre gestio, Gallis undique speculantibus. Magnum flumen dicunt, multo majus quam Tiberim nostrum. Quem temere reliquimus, ut in regione ignota atque barbara, hostium plena, fortunam quaereremus".

"Quid times? Victi sunt Insubres a Marcello consule, Galli Brixiani amici sunt populi Romani sociique facti, Boii imperio nostro premuntur. Padum ipsum Flaminius consul, contra Insubres exercitum ducens, primus feliciter trajecit".

“Gallos mobiles atque mutabiles aequa ac feminas esse didici. Duas insuper colonias nunc in agros eorum deducimus: haec est provocatio”.

“Num amisimus gladios, hastas, animos? Nec Galli aut Ligures magis quam Carthaginienses aut Sardi, gens dura et perfida, timendi. Duodecim stipendia merui in Sicilia, in regione asperrima, et...”.

Hic repentinus clamor et trepidatio toto agmine fit. Occurrit quidam, miles alius ordinis, alta voce clamans: Hannibalem Pyrenaeos superavisse; Boios, sollicitatis Insubribus, armis repente arreptis, defecisse; triumviros, qui agrum Placentium metarentur, centuriatione omissa, Mutinam confugere festinare; Placentiam perisse.

“Si Pyrenaeos superavit, Poenus brevi et Alpes trajecturus est”.

Hic conturbatus Quintus: “Si Placentia periit, inquit, Cremona quoque (malum!) peritura”.

“Papae, inquam, Punicum bellum Gallico augetur”.

Intermittitur iter. Quintus sperabat domum rediri posse, cum clamor reseedit, restituti sunt ordines; apparuerat enim centurio feroci et minaci vultu, manu vitem stringens.

“Quidnam rei est, inquit, mulierculae? Iter ad ripam Padi, hercle, matrandum, nocteque dieque, quacumque dabitur, aut terra aut aqua continuandum. Cremona perfugium nostrum erit, sive capta sive capienda est a Gallis Placentia. Cremonam Poenus non tanget!”.

Speculatores in omnes partes statim dimissi sunt. Per virgulta et nebulam proceditur. Silva tandem rarefit et clarior aër post teretes trunco atque raras frondes apparet: alveus magnus sub pedibus patet et ingens amnis, magnis verticibus profluens, se ostendit.

“Hic est ille Eridanus, inquam, fluviorum rex, quem multi poëtae celebraverunt”.

Tum Quintus (nam populi albae et rectae adversa in ripa surgebant): “Ista autem sunt sorores ejus, qui praeceps in Eridanum cecidit. At vide ne nobis nunc flendum sit”.

Excussit nos timenda voce centurio ille: “Consistite nunc, inquit; Padus ratibus jungendus. Postquam omnia ad traiciendum comparata erunt, vos cito transire jubebo”.

Fabri properant lintres ratesque, quibus junctis traiciatur agmen. Interea turba peditum frusta panis aut laridum siccum circumrodit.

Caesa raptim materia, rates brevi aedificatae.

Repente ululatus magnus atque immanis tollitur. Respicimus: apparent Gallorum turmae decurruntque caedis et ultiōis avidi. Toto trepidatur alveo. Pauci in lintrem ascendunt et contis aut hastis propellunt; alii, caesis truncis aut tabulis aut utribus incubantes, in medios gurgites feruntur; alii, armis abjectis, flumen tranare audent.

Me, novo tremore atque frigore impeditum, multitudo fugientium volvit, in undas rapit. Imperitus nandi in gurgite magno impetum aquarum superare conor, sed nullo nisu, nulla contentione, nulla voluntate adversam fluminis violentiam vincere possum...

...cum subito laetus fit clamor, alacres reddente ripa voces. Et ego, qui modo cum fluctibus luctabar, caput extuli, ut respicerem: non Galli, non Afri aut Numidae, sed Romana signa et arma ex silvis et nebula emerserant.

Gaudium tamen statim repressum: illi taciti, vultu demisso, stabant; tristis per undas ipsas percurrit nuntius: ambo consules ad Trebiam ab Hannibale devictos, robur legionum profligatum, sociorum copias in fugam conversas; reliquias legionum, inseguente Poeno, Placentiam a Sempronio consule, Cremonam a Scipione perduci...

...magno miscentur nunc strepitu campi et murmure caeco; ingens et varia multitudo, hominum et pecudum, per agros et limites trepidat; errant balantes oves et agni. Ubique pavor, ubique luctus vel maeror, ubique iratae voices et convicia. Interdum vox tremenda et magis et magis amplificata miseros personat atque instat: “*His discedite agris; veteres migrate coloni*”.

Veteres igitur relinquunt arva cultores, sua raptim collata portantes aut oves agentes aut unam ducentes capellam. Nos, duri milites, veterani legionum, quae saevo parent Caesari, succedimus; illos morantes increpamus, urgemos, modo scuto propellimus, modo manu percutimus.

Imminet nox nebulaeque et frigora campis recubuerunt.

In somno mihi videbar senem lacrimas et querellas profundentem compellare atque hortari, nulla vi, sed humanitate quadam adhibita:

“Abi, propera, nisi male esse tibi vis.”

“Numquid pejus esse potest? inquit. Deturbamur agris, patriam fugere cogimur! Nulla venia, nulla misericordia, nulla salus est, nec quicquam patrociniī aut amicitiae valet, non aetas, non virtus saepe etiam in bello spectata, non ingenium aut carmina”.

“Pro Bruto et Cassio sensistis; nunc a Caesare punimini. Duodeviginti urbium agri ducentis milibus militum dividendi sunt...”.

“Cum, impio bello gesto, Romani Romanos vicerint. Heu, bella civilia Italiam perdiderunt; perierunt jura, periit pietas, fas omne deletum est”.

“Caesar ipse cum legionibus huc est venturus, ut manu armisque distributionem agrorum regat et administret. Nec Cremonenses sufficiunt, sed Mantuanī quoque agri dividentur”.

“Nos haec rura linquimus, quae pater, quae avus, quae proavus coluit. Ex Hirpinia origo gentis nostrae; huc, in Padanos campos, quidam majorum nostrorum tum venit, cum post Hannibalem victum novis firmata est Cremona colonis. Nunc, amissis agris, quid restat? Ut ad Afros aut ad Britannos veniamus? Parthi aut Scythaē scilicet benigno hospitio accipient? Quodsi Vergilius

ille Mantuanus essem caneremque nymphas aut humum florentibus herbis spargerem, omnia servarem, mea rura manerent".

"Quis illum agello deturbare audeat, quis recula aut vita spoliare, Pollio-nis, Vari, Caesaris amicitia defensum?"

"Ego quoque illum cognovi; nam Cremonae fuit apud patrem usque ad togam virilem; et erat agellus Maronis proximus nostris. Vix litteris imbutus erat, ille versus condere coepit ostenditque puer quid posset. Memini Magiam, ejus matrem, filio illo gloriari, tacere patrem. Ipse erat statura procera, rustico sed miti vultu, animi tam modesto quam puellae solent, tanta verecundia ut raro etiam coram suis recitaret. Aequales nec fugiebat nec desiderabat; secum esse malle videbatur. Mane saepe, tramite in ipso consistens, laetas segetes adspectare solebat, nocte rubentem Vesperum suspicere et ardentia lumina. Quotidie versus meditabatur... Olim alta populo consederat, solus in umbra: messis erat et pater in flava induxerat arva messores. Ego in tenera procul herba recubans illum tacitus audivi cum virides induceret fontibus umbras et lentis intexeret umbracula ramis. Securus dicebat, pronuntiabat cum suavitate... At haec quid nunc memoro, calamitatis meae, immo nostrae, oblitus?".

Et ego, praesentis temporis et officii immemor, Vergilium cogitabam, totus in ejus carminibus. Sed novo repente metu percutimur: hominem trepidum nisu fugientem insequitur centurio minaci vultu, gladio desticto; ille, cum flumine impediretur fuga, praeceps in aquam se projectit quaque se immersit rivi leniter profluentis undam spumamtem cum strepitu torsit...

...non rura vel arva, sed moenia et tecta urbis adparent. Stant arduae turres; murus corona defenditur et frequenti turba civium. Obmutuere prospiciuntque in campum et aggerem viae; ex obscura nocte legionum signa emergunt nec fulgent, adveniente exercitu infestis hastis. Ingruit murmur per silentium caliginemque caecum et minarum plenum.

Et vallum corona cingitur et multitudine armatorum; admoventur tormenta machinaeque. Nulla vox; taciti et oppugnatores et propugnatores implacabili studio ardent, quippe civili flagrant odio. Romana utrimque arma, signa, corpora. Ne muro quidem consanguinea caedes depellitur aut differtur.

Primo haerent, tamquam scelus auderent. Orientem solem pauci salutant, ceteris silentibus. Continuo hi saxa ingenti pondere provolvunt, illi machinis tela coniciunt; volant stridentque sagittae; adduntur faces et flammæ. Eminus pugnatur; dein legiones, testudine facta, succedunt muro nec saxis aut telis densissima scuta disiciuntur. Scandentium et deturbantium certamen acerri-mum, atrox. Interea quatuntur ferratae portae et perfringuntur.

Labantur et animi, qui jam languescebant; fit defensorum fuga, dilapsis ductoribus, vix pauci morituri resistimus. Immittuntur portis vexilla, intrumpunt auxiliares, saeva manus, trucidantque et omnes vicos urbis caede et sanguine complent. Ego, frustra obsistere conatus, turba trahor; vagi per vias trepidare,

per crepitantia incendia currere, in tecta deserta se abdere, rursus in viam flammis extrudi. Hinc legiones, hinc lixae calonesque urgent aut gloriae aut predae studio incensi. Undique clamor, undique mors et vulnera. Non dignitas, non aetas, non nobilitas protegit quemquam: senes pueri, viri feminae aut trahuntur aut necantur. Nec languescunt flammae; domus, tabernae, ipsa deorum templa incendio correpta flagrant totaque Cremona in ignem considere videtur...

Hic experrectus sum. In cubiculo magna quies et altum silentium: nullum proelium, nulla machina, nulla caedes. Juncta fenestra, paulum luminis intus se fundebat, solis jam orti certum indicium. Res antiquae subito evanuerunt, officii exsequendi cura ex somniorum commentis emersit. Surrexi et, aperta fenestra, vicos et aérias turres Cremonae jam luce solis collustratas forumque varia hominum et seminarum multitudine frequens, laetus spectavi. Nec somnium mihi inutile fuit, sed admonuit ut antiquarum rerum studium laboremque finirem et cum ceteris rebus compensarem.

ALBERTUS ALBERTINI

DE POMPEIANA URBE

Automatum Pullmanianum, via bitumine obducta quae usque Neapoli Pompeios fert, velociter progreditur. In Campania Romana sumus. Phoinices, Graeci, Osci Samnitesque quandam hac transierunt. Secunda est post meridiem hora. Dies pluvius, nubilum caelum. Thermometrum tres gradus super nullum indicat, quod multum nobis est qui ex urbe Flumine Januarii, hoc anni tempore calidissima, veneramus.

Ex automati hyalinis fenestellis, in hortulis viam tangentibus, malos aurantias Sinenses, pomis exuberatas maturis et vineas foliis spoliatas, conspicimus. Hic illic pini et cupressi. Porro Lactarius mons adtollitur, ridenti valli Sarnensi superpositus, ac Vesuvius taetricus ac minacissimus.

In conspectu montis illius ignivomi, memoriam praeteriti temporis teneamus, atque de aliquot libris recordamur, quorum unus valde notus, *The Last Days of Pompeii* inscribitur, nobili Angliae viro Bulwer Lytton auctore. Tum vero nobis in mentem venit illius diei funesti Augusti mensis anni LXXIX p. Chr. natum, recordatio Tito Flavio Sabino Vespasiano imperante...

* * *

Ex automato Pullmaniano, quo semi hora vecti sumus in Pompeianum oppidum, quod Neapoli sex et triginta milia passuum intervallo distat, descendimus. Puellae roseis genis ad nos accedunt, clamantes ac flores et parva nomismata offerentes. Collem modicum, castaneis consitum, ascendimus, atque Antiquarium ingredimur. Conclavia spatiosa eademque clara. In armariis vitreis, titulos ostentantibus, res variae e Pompeianis efflosionibus productae, videntur, ut panes lapidei facti, aeneae supellectiles atque hominum exemplaria animaliumque e gypso facta, extremos ultimosque status exhibentia. In conclavis angulo quodam, in parvula mensa, libri, parietinarum imaginibus luce impressis ditati, prostabant.

Ex Antiquario eximus et semitam quandam, inter quercus fagusque, descendere incipimus. Pedum crepitus et vocum sonitus in loci tranquillitate evauduntur. Atque brevi spatio interjecto, Pompeiorum urbs ante oculos nostros, avidos videndi cupidosque, versatur, marmoream ac latericiam faciem ostendens.

* * *

Plinius Junior, in binis litteris notissimis, septem et viginti annis post ignium eruptionem conscriptis, Cornelio Tacito, amico suo, acerbum easum necopinatumque, qui paucis horis urbem Campaniae florentissiman et dicitissimam delevit, verbis pingit. Sunt duae epistulae maximi momenti ad calamita-

tem restituendam, propterea quod Plinius Junior, ruinae spectator et testis, in qua vitam amisit, gasiis letiferis suffocatus, quae rimis soli effundebantur, avunculus suus, Plinius Senior, nobis eam fido vivoque animo narrat.

* * *

Urbem ingredimur. Viae angustae, magnis saxis et inaequabilibus stratae, sub oculis nostris extenduntur. Tabulae clavis parietibus fixae insulas regionesque monstrant. Herbae passim in lapidum commissuris, inter tufi marmorisque fragmenta, ad columnarum basim, crescunt. In hoc domorum coemeterio vastissimo omnia altum tenent silentium. Nos, penitus commoti, oculos circumferimus, parietinas agnoscere quaerentes, quarum multae de imaginibus luce impressis ac lectionibus nobis erant notae. Itaque paulatim urbis facies, quam horrenda ignium eruptio in cinere et lapillis sepelivit, se oculis nostris obicitur.

* * *

Dum per tacitas vias desertasque incendimus, praeteritum hujus urbis celeberrimae reficere contendimus. Et statim cogitatione nostra Pompeianorum urbs, qualis quondam fuerat, depingitur: publica aedificia illa marmorata; aedes tectorio inductae; fora statuis adornata; viae clamosae; ad fenestras atque in maenianis virgines, comis floribus intextis; per vicos institores merces clamitantes; tabernae emptorum plenae; Forum patriciorum refertissimum; Basilicae magistratibus mercatoribusque redundantes; servi aquam a fonte haurientes; fabri in tabulationibus templa exstuentes; thermae frequentissimae...

Itaque animo concipimus hujus urbis faciem, cuius parietinae, eloquentiae cuiusdam inusitatae, nobis multa narrant de ejus extincta magnitudine.

* * *

Ignium eruptio paulo post horam sextam cooperat. Plinius ipse nos certiores facit, cum haec dicit: *horam fere septimam*. Nubes immanni magnitudine atque inusitata ex Vesuvio orta erat. Deinde fulgura, terrae mugitus tremoresque, tecta nutantia, prosecuta sunt. Nox planissimo die facta erat.

Incolae, exterriti, linquebant limina, quae ruere impendebant, et in viis ac foris discurrebant, alii alios collidentes, quo adire nescientes. Corruerant publica aedificia, atque ii, qui intus erant, opprimebantur. Undique *ululatus feminarum, infantium quiritatus, clamores virorum audiuntur*.

Calidus cinis ac pumices ambusti ac fragmenta candentia urbi incidebant tanquam execratio quaedam. In atra nube atque enormi, quae solem omnino absconderat, figurae rubrae sese contorquebant. Sulphuris foetor usquequaque diffundebatur. Atque incendia tecta concremabant, pavorem ac trepidationem augentia.

Calamitate confecta, omnia siluerunt. Pompeiani alii soli, alii congregati, animo demissi atque ad summam desperationem pervenientes, tecta bonaque

sua quarentes, redierunt. Sed nihil recuperare potuerunt, quia urbs in cineris strato lapillorumque erat sepulta, stratum quod nonnullis locis in altitudinem pedibus sedecim adtollebatur. De urbe Pompeiana —celebri quondam— nihil aliud restabat nisi ejus tristissimae sortis recordatio.

* * *

In Archaeologiae fastis, Pompeianorum oppidum incredibile quoddam ac singulare caput est. Re enim vera nulla urbs, neque Herculaneum ipsum, liquefacto saxo obrutum, quod effossiones difficiliores reddit, insolitam Pompeiorum oppidi speciem praebet. Nam Vesuvius, ut nonnulli historici dicunt, multos urbis aspectus asservavit.

Hic, ut exemplis utamur, pistrinum stat, cuius in furno unus et octoginta panes, in carbonem redacti, reperti sunt; illic, in *Via di Stabia* italice nuncupata, impressae orbitae etiamnunc videri possunt; haud procul, in Olconii quadrivio, fons stat quadratus, pumice factus, qui personam suam usque adhuc ostendit.

Undique valida prateriti praesentia in suis multiformibus aspectibus adlicantibus. Patriciorum aedes speciem quandam ridentem habent, quasi nos ad caueas edendas aut Falernum bibendum invitent. Haec domus, atrio tetrasstylo exornata, quae a domini potestate aspicitur, est Lucii Caecilii Jocundi, hominis omnium Pompeianorum deditissimi. Illa, quae pulchram porticum, doricis columnis exstructam, atque viridarium ostentat, est M. Arrii Diomedis, in cuius subterraneo duo et viginti ossa inventa sunt. Illa altera est Vettiorum, quae non modo pulcherrimum peristylum, sed etiam parietum picturas ostendit. Hic domus stat Fauni, quae tota una insula extenditur; in atrio peramplo, signum Fauni aeneum videtur, atque in exedra, veluti mirabile quoddam tapete, musivum illud, pugnam ad Arbelam effingens, ostenditur. Longius, in Viae Copiae extremitate Domus Loreii Tiburtini, in qua pergula est pulchra, conspicitur.

* * *

Portam Herculaneam praetergredimur, atque exemplo via quaedam flexuosa ante oculos nostros patet: est Via Mortuorum, vel, ut Itali dicunt, *Via dei Sepolcri*. Locus valde placidus; sepulcra, alia nota, ignota alia, inter acutas

cupressos maestasque, extenduntur, ornamentum viarum architectonicum, ut ita dicamus, figurantia. Locus, pacis et tranquillitatis plenus, prealtas cogitationes suscitat. Sepulcralia monumenta sermonem quendam habent, atque multa silenter eloquenterque de illa vita, quae est sempiterna, nobis dicunt. Alia, ut **id** Umbricii Scauri, solida graviaque sunt; alia, ut id Aesquilliae Pollae, N. Erenni Celsi duumviri uxoris, levia et concinna.

Atque haec omnia sepulcra funebria, et porticus, et arcus, et columnae, in speciem muta, sed reapse eloquentissima, indolem, mores cultumque Pompeianae civitatis ostendunt. Quae, priusquam Romana facta esset, cum Romanis acriter pugnaverat, atque, aetatibus nostris, viginti post saecula, ex lectulo cinerario exsurgebat, ad infortunium acerbissimum narrandum...

* * *

Advesperascit. Pluvia rara et minuta cadere desiit. Caelum, nubibus dissipatis, aliquantis per ostenditur serenum, at mox oculis subducitur.

Regredi incipimus. Quinta est post meridiem hora. Easdem vias, in nebulae velamine obvolutas, repetimus. Inter Templi Jovis frontem ac Porticum Macelli, columnis corinthiis instructam, postrenum obimus visu augustam Fori parietinarum gravitatem atque Arcus Neroniani et Templi Fortunae et Domi Romuli Remique reliquias.

Sensem quendam inusitatum, desiderii maestitiaque mixtum, capimus. In praeterito tempore mens est defixa. Inter rudera, ut antiquitatum studiosi, movemur. Alia aetate vivere videmur, aliud vitae cultum habere, aliquid nobiscum ferre quod nostrum non est.

Ecce autem mystagogus, qui nos monet jam multam esse diem, ad veritatem nos adducit. Ad Antiquarium properamus. Sed umbrae quaedam, candidis vestibus indutae, nos sequi silentio videntur...

SILVIUS BAPTISTA PEREIRA
Rua Alm. Alexandrino, 584, Apto. D.
FLUMINE JANUARII (in Brasilia)

CONLOQUIA EUCHARISTICA INTER JESUM EJUSQUE AMANTISSIONUM SERVUM ANTONIUM M. CLARET

*Ecce, mi Jesu, Pater et Magister
Ecce, jam curis venio solutus,
percitis tandem pedibus cucurri
protinus ad Te.*

*Cor meum languet, queritur, laborat;
Teque non ultra patitur remotum;
Temet exquirit. Mihi Te libenter
detege quaeso.*

*Me diu Tecum sine colloquentem.
Cordis affectus queat explicare
pectus, et mentis tibi vota cuncta
reddere nota.*

*Quidquid a me Tu velis, o benigne
dic; perattenta capiam aure prorsus;
cuncta profecto tua corde solvam
dicta volenter.*

J e s u s

*O bone Antoni, vigil et fidelis!
Ecce jam mecum properas reverti;
jam meo Cordi studiosus haeres:
permane et audi.*

*Hic dies noctesque moror, per omne
tempus exspecto, cupidus requiro
quos meo dura cruce quos redemi
sanguine toto.*

*Fili possint ut adire Patrem
hic meas sedes statui perennes;
huc tamen mecum quotus ecce quisque
tendere pergit!*

*Sunt tamen quidam mea templa coetu
qui pio saepe celebrant: meum Cor
diceret tanto moderatum amore.*

Heu, miserum me!

*Corde qui toto peramanter arsi
ut queam verbis sine corde dictis
atque eis vanis labiisque summis
mente repleri?*

*Non potest guttis sitis ista noctis,
non micis tantum fames haec levare.*

*En, tuo, Antoni, studio rependi
prorsus anhelo.*

A n t o n i u s

*Sufficit, Jesu. Tua vox acerbo
me dolens vexat cruciatu et angit;
ne premas oculis letus oculis amaros;
solve dolorem.*

*Visne solari? Cupio levamen
esse me totum tibi. Vis amari?
Fax ero flammae crepitantis ardens
Vis celebrari?*

*Quae tui Cordis referat fluenta
vox mea in gentes tuba erit sonora;
membra non longo mare, nec fatiget
terra meatu.*

J e s u s

*Nec satis. Quoddam mihi majus ibis.
Te meas sedes statuam, viretum
dulce eris, sacrum penetrale, laetus
floribus hortus.*

*Hic mihi gratum stare, hic deinceps
dulce sub tectum fugere; hic per annos
bis quater (longum neque erit) libenter
usque manebo.*

JOSEPHUS MATTEOCCI, C.M.F.

*In Collegio Divini Servatoris Professor
TUSCULI (in Italia)*

AURELIUS AUGUSTINUS

Solet suavis providentia divina aliis alias temporibus viros suscitare, qui fidem veram ab haereticis depravatam defendant et luce superna illustrant, ut in Oriente Athanasium et tres Cappadoces ita Augustinum in Occidente. Stirpe Poenus lumen hauserat anno 354 Tagaste Numidiae. Pater patricius, officialis, benevolo in omnes animo, sed ad iracundiam propensus. Monica mater piissima filium non minus spiritu quam carne pepererat et in catechumenos cooptari curarat. Tota domus in Deum credebat excepto patre puerque a matre verae fidei rudimentis institutus. Praeclarissimis naturae facultatibus instructus ludimagistro primis litterarum elementis imbuendus est traditus et post Madauros in urbem vicinam ad artem oratoriam percipiendam missus. Hic poetarum carminibus adeo oblectabatur, ut Didonis mortem non sine lacrimis legeret. Addiscebat quoque linguam Graecam, sed eam horrebat. Annum decimum sextum ingressus Tagaste reversus, in domo paterna degit, donec pater, gloriae et laudis filii percupidus, sumptus necessarios pararet, ut intermissum studiorum cursum in academia Carthaginiensi perficeret. Domi igitur dum otio abundat, non aliter ac coaequales praeceps in vitia ruit, sed a matre monitus castimoniam a Deo petebat. “Da mihi castimoniam et continentiam, sed noli modo. Timebam enim, ne me cito exaudires et sanares a morbo concupiscentiae, quam malebam expleri quam extingui”. (1)

Anno 370 sumptibus suppeditatis Carthaginem, Romae et divitiis et studiis oratoriis paene aequalem, secessit et a Rominiano cive Tagastiniensi domo, sumptu animoque benevolo est exceptus. Quo erat ingenio totum se studiis dedit et condiscipulos facile superavit. Honestus quidem specie et urbanus, sartagine flagitorum est abreptus. “Nondum amabam, amabam amare, rui in amorem, quo capi cupiebam” (2). Vivebat cum concubina, quod tunc temporis non dishonestum videbatur, suscepit ex ea filium, Adeodatum, in flore aetas moriturum, de quo aliquando dixit: “Horrori mihi erat ingenium istud”. Servabat fidem amicae et tandem matre hortante Mediolani dimisit et dimissa nulli alio viro nupsit.

Dum studiis vacat, pater morbo correptus e vita cessit, cum jactura magna et damno Augustini; sed a Rominiano et matre sustentabatur. Triennio post accidit ut ei in manus veniret liber Ciceronis **HORTENSIA** sive hortatio ad sapientiam, cuius sapientia et eleganti oratione multopere est commotus et verae sapientiae siti flagrare coepit. “Quomodo ardebam, Deus meus, a terrenis ad Te revolare”. (3) Quare animum ad SS. Scripturas applicabat, sed earum sim-

1. Confessionum 1.8.c.7. 2. lib. 3.c.1. 3. lib. 3.c.4.

plicitate offendebatur. Eodem tempore indagandae sapientiae cupidus in Manichaeorum sectam incidit, "genus hominum carnale et loquax, speciem pietatis prae se ferens". (4) "Dicebant veritas, veritas et nusquam erat in eis". Manichaei a Manete Persa (215-275) profecti duo esse principia sibi adversantia, alterum lucis, tenebrarum alterum esse dicebant, redimi homines scientia (gnosis), a matrimonio, carne et vino esse abstinendum nec culpam nec poenitentiam nec sacramenta agnoscebant. Cultus religionis tantum preces et jejunia complectebatur. Utriusque Testamenti scripta spernebant. Quos falsos prophetas Augustinus audiebat et venenum, quod specioso colore pictum propinabant, bibit et iis novem annos adhaesit lugente matre pia et filii conversionem a Deo flagitante. "Cum pro me fleret ad Te mater amplius quam flent matres corporea funera". (5) Quae cum aliquando dolorem cum episcopo sancto quodam communcasset, ille: "Vade a me, ita vivas; fleri enim non potest, ut filius istarum lacrimarum pereat". (6)

Augustinus studiorum curriculum Carthagine emensus Tagaste repetit grammaticam potius quam artem oratoriam docturus. Erat inter auditores Alypius, indolis praeclarae adulescens, quem Augustinus ob virtutum specimina summo prosequebatur amore. Nec tamen longiorem in urbe patria traxit moram, sed studio profitendae rhetoricae incensus Carthaginem se contulit, ubi ampliorem docendi palaestram se habiturum sperabat. Quod nactus est. Idemque, etsi dogmata Manichaeorum sequebatur, tamen non ita iis adhaerebat quin sensim diffideret. Nulla autem causa vehementius commovebatur quam quod obscenos Manichaeorum mores deprehenderat a Christi legibus ipsorumque institutis longe alienos. Accessit ad id quod doctrina ipsa Augustino suspiciones praebere coepit. Quas ubi sectae hujus professoribus aperuit, verba quidem fecerunt, expedire non potuerunt. Dicebant venturum haud ita multo post Faustum antesignanum, qui suspiciones omnes ac difficultates facile endaret. Cujus igitur adventum Augustinus ardenter exspectabat. Florebat Faustus eloquentiae fama. Ideoque Augustinus: "Delectabatur cum multis vel etiam praefatis multis laudabam et efferebam" (7). Aegre autem ferebat nullam sibi esse facultatem Faustum publice dicentem interpellandi neque cum eo familiariter colloquendi vel disputandi. Data tandem occasione Augustinus, cum Faustus nullas difficultates, quibus tantopere premebatur, solvere potuisset, in tantam incidit desperationem, ut relicta Carthagine Romam navigare constituerit.

Quo postquam venit, gravissimo morbo affectus in summo vitae discrimine versatus est. Ubi convaluit, discipulos sibi junxit, quos arte oratoria imbueret. Sed cum ne mercedem quidem penderent, Mediolanum petut, quam urbem eloquentiae professore carere audierat. Divinae providentiae beneficio accedit ut tunc aetatis Sanctus Ambrosius, vir eximie doctus et orator magni-

4. conf. lib. 3.cap.6. 5 lib. 3.cap.11. 6. I.c. cap.12. 7. lib. 5.c.11.

ficus, ecclesiam administraret. Augustinum ad ipsum adeuntem paterno exceptit animo. "Ad eum a Te ducebar nesciens, ut per eum ad Te sciens ducerer" (8). Exinde frequens eum ad populum sermones habentem audiebat et sensim veritate delectabatur; sed quantum ab ea amplectanda aberat! Nam quo quis est altiori ingenio, eo plures nodos videt et difficultates. Nec sat frequens erat copia dubia cum Ambrosio tot tantisque occupationibus distento communi- candi atque ipsius causae forenses eum multum a veritatis studio avocabant.

Eodem tempore Monica profugum filium secuta Mediolanum venit Ambrosiumque adiit, qui ejus sanctitate multum est motus. Atque quoniam "fa- cienti quod in se est Deus non denegat gratiam", Augustinus lente proprius ad veritatem accedebat. "Cogitabam haec et aderas mihi; suspirabam et audiebas me, fluctuabam et gubernabas me, ibam per latam saeculi viam nec deserebas me" (9). Lectitabat Sacras Scripturas et gaudum inde capiebat, maxime Pauli epistolis. Tamen sollicitudines in dies magis recrudescebant. Tunc velut missus a Deo Pontinianus eum invisit narravitque Antonium Aegytiacum plurimosque alios relicto saeculo vitam eremiticam ducere ipsosque duos imperatoris offi- ciales Treveris versantes, postquam haec audissent, spreta militia eundem vi- vendi modum arripuisse eorumque sponsas his cognitis virginitatem Deo vo- visse. Quibus commotus Augustinus: "Inter haec verba constituebas me ante faciem meam, ut viderem, quam turpis essem, quam sordidus et ulcerosus. Et videbam et horrebam... Invado Alypium et exclamo: Quid patimur? Quid hoc est? Quid audisti? Surgunt indocti et caelum arripiunt et nos cum doctrinis nostris sine corde, ecce ubi volutamur?" (10). Saeva procella orta erat in ejus animo. Vehementer inter metum et spem fluctuabat et lacrimarum vim copio- sam effundebat. Morabatur in praedio amici prope Mediolanum sito. "Ego sub quadam ficus arbore stravi me... et dixi Tibi: Tu, Domine, quounque? Ne me- nor fueris iniquitatum nostrarum antiquarum... Quamdiu, quamdiu cras et non cras? Quare non modo, quare non hac hora finis turpitudinis meae?... Et ecce! Audio vocem de vicina domo cum cantu legentis et crebro repetentis, quasi pueri an puellae, nescio: "Tolle, lege, tolle, lege". Arripui codicem Apostoli, aperui et legi in silentio capitulum, quo primum ijecti sunt oculi mei: "*Non in commessionibus et ebrietatibus, non cubilibus et impudicitiis... sed induite D. N. Jesum Christum...*" Nec ultra volui legere nec opus erat. Sed quasi infusa luce serenitatis cordi meo omnes dubitationis tenebrae diffuge- runt (11). Solet Deus opus incoepturn perficere. Secessit Augustinus Mediola- num una cum filio Adeodato et Alypio et, ubi satis doctrina christiana erant imbuti, in sollemnitate paschali ab antistite Ambrosio regenerationis sacra- mento initiati sunt anno 387. "Baptizati sumus et fugit a nobis sollicitudo vitae praeteritae... Nec satiabar illis diebus dulcedine mirabili... Quantum flevi in hymnis et canticis tuis!... "Tandem navis saevis diu jactata procellis portum

8. lib. 5.cap.13. 9. lib. 6.cap.4. 10. lib. 8.cap.7. 11. I.c. cap.12

subiit. Tandem qui ardenter Deum sitierat, e fonte aquas in vitam aeternam salientes potavit.

Nec multo post in Africam redire constituit. Ostiis Tiberinis dum secundum navigationis ventum opperiebantur, Monica in gravem incidit morbum, “Fili, quid hic faciam adhuc et cur hic sim nescio. Unum erat, propter quod in hac vita immorari cupiebam, ut te christianum catholicum viderem, priusquam morerer. Cumulatius hoc mihi Deus praestitit, ut te etiam contempta felicitate terrena servum ejus videam” (12). Mortuam matrem Augustinus amare deflevit. “Legat, qui volet et interpretetur, ut volet, et si peccatum invenerit me fleuisse matrem exigua horae parte matrem oculis meis interim mortuam, quae multos annos fleverat, ut oculis tuis viverem, non irrideat, sed potius si est grandi charitate, pro peccatis meis float ipse...” (13). Quis unquam matri suae tam pulchrius posuit monumentum?

Tagaste reversus, bonis pauperibus erogatis, vitam communem cum aliquot sociis ducens eorumque curam gerens, totum se meditationi dabat librisque scribendis. Triennium fere in sacra secessu vixerat, cum Hippone Regio frustra repugnanas populi voto presbyter nec ita multo post ab episcopo Valeriano episcopus est ordinatus anno 395. Quae urbs rustica, divina curante providentia, sedes est facta, unde Augustinus lumen sacrae doctrinae in orbem terrarum et in saecula subsecutura solis instar erat diffusurus. Ad mortem usque 28.8.430 munere episcopali fidelissime est functus servata una cum sociis vita monastica. Cotidie fere et interdum bis in die verba ad populum facere et pauperes omni modo juvare solebat. Ipsumque ut oraculum omnes undique consulebant ejusque auctoritas ultra dioecesim et ultra Africam plurimum valebat. Ad usque utimum spiritum haereses ac schismata Manichaeorum, Donatistarum Pelagiisque luculenter refutabat, adeo ut Hieronymus senex exclamaverit: “Macte! Te colit orbis universus. Catholici te fidei antiquae restitutorem venerantur”.

Interea imperium Romanum in dies magis labefiebat. Rex Alericus Urbem anno 410 vastavit, rex Gensericus Vandals Africam trajecit et florentem provinciam quasi perdidit. Dum Hipponem obsidet, Augustinus febris abreptus decumbit. Obsecrat multum Deum, ut aut urbem ab obsidione liberet aut ipsum placide mori patiatur. Jam audiamus Possidum: “Dicere nobis inter colloquia familiaria consuerat post perceptum baptismum etiam laudatos christianos et sacerdotes absque digna et competenti paenitentia exire de corpore non debere. Quod et ipse fecit ultima aegritudine. Nam sibi jusserset psalmos Davidicos, qui sunt de paenitentia, scribi ipsosque jacens in lecto contra parietem positos intuebatur et legebat et jugiter et ubertim flebat. Et ne intentio ejus a quoquam impediretur, a nobis postulavit praesentibus, ne quis ad eum ingredieretur nisi iis tantum horis, quibus medici ad inspiciendum intrarent...”

(14) Solus cum solo Deo manebat, nil aliud nisi Deum cogitabat, donec die 28.8.430 annos natus septuaginta sex inter sociorum preces placidissima morte animam Deum tantopere esurientem reddit. “Inquietum est cor nostrum, donec requiescat in Te”. In hanc requiem est ingressus.

Jam quid de ejus scriptis dicam? Undecim volumina complectuntur. Fons uberrimus, unde posteri pleno haustu potabant et etiamnunc potare solent. Maxime autem animum percellit, quod, praeter majoris ponderis opera, cetera omnia “ex tempore” dicebat, excepta tamen a notariis et stenographice notata. Augustinus est fertilissimus omnium Patrum occidentalium scriptor et sagacissimus, psychologus admirabilis, arcana animi sua luce illustrans. “Nosse Deum et animam meam”. Celebrabantur et celebrantur “confessiones”, scriptae circiter anno 400. Sunt “autobiographia” omnium celeberrima, excellens religione, simplicitate et veritate. Quasi de more “confessionis publicae” auctor describit, quomodo Deus ipsum ex abysso miseriarum et dubitationum, erroribus, imaginationibus Manichaeorum somniisque Platonicis eripuerit, ab dishonestis impudiciatarum vinculis, quibus obstrictus diu misere jacebat et gemebat, liberarit et christiane veritatis ac Sacrarum Scripturarum divitias, quas caece ignorasset, aperuerit.

Cum auctor in confessionibus animae suae pugnas et gratiae victoram depingat, alio eoque grandiori opere “de civitate Dei” inscripto gratiam divinam per totam populorum historiam vigentem et vincentem fuse et alte describit. Veluti positus in vertice montis Graeciae, Italiae Urbisque culturae splendorem jam pallescentem et florescentem Christi religionem —civitatis Dei — gloriari et ejusdem pugnas et triumphum in saeculorum fine prospicit. Quod opus non immerito prima “philosophia historiae” vocatur, sed potius nomen “theologiae historiae” meretur. Coepit opus grande annos natus quinquaginta novem et demum post annos tredecim perfecit. Est auctoris senis testamentum et ejusdem summa scientiae, peritiae et prudentiae nec ullum opus tantum in saecula insecuritate valebat nec ullibi alias auctor tantam scientiarum copiam, tam acrem intellectum, pectus tam ardens, tam elegantem orationem, tantam venustatem Platonicam, denique tantam praedicatoris christiani granditatem ante oculos ponit. Terminatque opus praeclarissimis illis verbis: “Ibi vacabimus et videbimus et amabimus, amabimus et laudabimus. Ecce quod erit in fine sine fine. Nam quis aliis noster finis est nisi pervenire ad regnum, cuius nullus est finis”. Quaere ubi pulchrius quid invenias.

“Augustinus, quod genus scribendi spectat, est scriptor maxime grandis et praeteritos vincit et posteros omnes”. Ita Norden, doctissimus philologus, in “Antike Kunstprosa ii 621”. In operibus, quae civibus eruditis dedicat, et stilo classico et quantum fieri potest sermone classico utitur. Sed cum verba ad

1. Posidius vita Augustini cap. 31.

populum facit —erant cives simplices, mercatores et piscatores— ita loqui solet, ut aures et pectus movent. Multus est in adhibendis “sententiarum parallelismis” et “homoioteleutis”. Id enim erat mos aetatis auctoris. Ponamus pauca. “Ubi amatur, ibi non laboratur, etsi laboratur, labor ipse amatur”. “Cecidit homo miserabiliter, descendit Deus misericorditer”. “Qui te creavit sine te, non te justificat sine te. Fecit nescientem, non justificat nisi volentem”. “Da, Domine, quod jubes et jube quod vis”. “Deus impossibilia non jubet. Sed jubendo postulat, facere quod possis et petere quod non possis et adjuvat, ut possis”. “Non frustra fatigatur virtus Dei, per quem fatigati recreantur. Quo praesente firmamur, quo deserente fatigamur”. “Noverim Te, neverim me, ut plus amen Te et magis contemnam me”. Quae summa ejus scientiae. “Qui mortem nostram moriendo destruxit et vitam resurgendo reparavit”. “O omnipotentia nascentis! O magnificentia de caelo ad terram descendantis!” “Senex puerum portabat, puer autem senem regebat”.

Infirma utebatur valetudine et ex pulmonibus laborasse videtur. Erat vir ut ita dicam “musicus”, quod facile ex ejus verbis cognoscas. Quantopere amabat scribere et, cum tot occupationibus distineretur, noctu tantum ei licetebat. Effusus in omnes amore paterno linguam caute custodiebat. Quare non mirum est quod in mensa insculpsisset: “Quisquis amat dictis alienam rodere vitam, hanc mensam vetitam moverit esse sibi”. Sancto vere dignum. Nec piger erat in scribendis epistolis, quarum permultae ad nos venerunt. Nec versus scribebat nisi Psalmos in Donatistas haereticos “abecedarium”, ut homines facilis memoria tenerent. (Migne P.L. XLIII 23-32). Mortuus adhuc loquitur et loquetur, donec stabit orbis terrarum. Quo melius terminem commentum nisi illis immortalibus verbis: “Fecisti enim nos ad Te, Domine, et inquietum est cor nostrum, donec requiescat in Te”. (Conf. lib. 1. cap. 1).

N. MANGEOT, S. J.

PER ORBEM

L. Senecae mortui annus bis millesimus hoc anno agitur. — Cumm anno 65, Nerone imperante, Lucius Annaeus Seneca animam reddisset litterarum latinarum cultores praesertim hispani, bis millesimum annum Cor-dubensis philosophi mortis agentes, studiose parantur ut L. Senecam —gravissimum Occidentis antiqui intelligendi auctorem— omnibus officiis et laudibus prosequantur. Accipe, lector, themata seu commentationes quae de Seneca a sapientibus evolventur:

De pondere et Senecae momento; de philosophi hispani in Patres Latinos (in Tertullianum, Lactantium, S. Hieronymum, Ambrosium cet.) efficacitate; de anthropologia Senecae, qua exquiri possunt problemata historica nondum soluta; de Seneca primo scriptore qui affirmat servos esse manumittendos.

Institutum cui inscriptio “Luis Vives” et “Consociatio Hispana Philosophiae”, sibi proponunt Senecae mortis anniversarium in lucem proferre.

V. P. Anchieta elegantissimus poeta latinus indiorumque Brasiliensium Missionarius, plus quam quattuor abhinc saecula e vita egressus (1534-1597), a cl. P. Patricio O.C.D. in Seminario Dioecesano ad Teneripham professore vivus hodiernusque redditus est. Hae fuerunt lucubrationis partes quibus patefactum est P. Anchieta virum fuisse ad carmina condenda natum:

Prima pars: P. Anchieta duo panxit maximi momenti poemata: “*De gestis Mendi de Saa*” et “*Poema Marianum*”.

Secunda pars P. Anchieta summus est poeta latinus ad Virgili modum dicens accedens.

Tertia pars: Exponuntur ac perpenduntur ejus operum virtutes: a) de metrika Anchieta, b) de grammatica, c) de oratione figurata, d) de stylo.

Quarta pars: De anthologia P. Anchieta operum.

Ex brevi indice quem offerimus colligere possumus scitissimam fuisse simulque subtilem commentationem quam de P. Anchieta cl. P. Patricius habuit. Quae omnia ad P. Anchieta litterarum latinarum cultorem vividam recordationem faciendum, lectoribus libentibus animis significamus.

Inventa archaeologica.

In pago “Coy” nomine, qui ad Murciam in Hispania situs est, imaguncula Mercurii inventa est duodecim centimetra alta quae ad Romanorum dominatum pertinet. Statua alis ornata est marsupiumque manibus tenet quo palam fit ut de commercii deo agatur. Periti post operosas archaeologicas peruestigationes pro certo habent sub vico “Coy” antiquitus urbem fuisse ibericam supra quam urbs romana exstructa fuit.

—In jugo montis Sanctae Teclae —praeclarissimi montis in regione Gallae-ciorum— ab opificibus amphora suffossa est septuaginta centimetra alta, alia-que fragmina quae in Museo cuius nomen “*Associatio pro monte Santa Te-clae*” asservantur.

—Dum ab agricola in vico qui appellatur “*Gerp*” ad Ilerdam, rus complanatur, necropolis inventa est quae ad aetatem vulgo ferream —octingentos abhinc annos ante Cr. natum— referri videtur.

Praeclaro archaeologo Rodríguez Pita Mercé moderante, qui membrum est “*Instituti Studiorum Ilerdensium*”, campus tumulorum et urnarum, quae ad triginta fere accedunt, suffossus est. Quibus effossis, licet nobis asserere planiciem prope Ilerdam patentem, principem esse paeninsulae Ibericae regionem quae diligentius a peritis recognita est quo ad “aetatem ferri” pertinet. De quibus, hac oblata occasione, nonnulla summatim, lector humanissime, audi: Investigationes archaeologicae ad Ilerdam inceptae sunt anno 1958 quo exquisitus est campus cui nomen est “*Pedrera*”, anno 1963 loco cui titulus “*Riques de Sant Formatge de Serós*” effoso, permulti maximi momenti tumuli inventi sunt; posterius aliae regiones ad *Alcolea de Cinca*, *Fraga*, *Llardecans* fossae sunt; quibus est inscriptio *Vilaseca I, II, III, IV, V...*

Quae omnia inventa si lustrare cupis, Museum provinciale Ilerdae situm adi, animumque tuum admiratione rerum antiquarum afficies.

—Ad urbem Bonnam, Germaniae occidentalis caput, effussionibus factis, imago mira arte efficta inventa est, qua exprimitur familia romana ad mensam sedens, eaque ad saeculum II ante Ch. n. pertinere videtur. Id tamen quo praesertim archaeologi affecti sunt admiratione, *umbella seu umbraculum* est quod supra capita edentium expanditur. Qua *umbella* suffossa, quaestio a peritis movetur num *umbella* a Romanis inventa sit? Res sub lite extat. Apud Aristophanem (Aves 1508 et 1550) de umbraculo (graece σκιάδειον a vocabulo σκιά = *umbra*) fit sermo. Hoc instrumentum a Romanis postea adhibitum est “soli et pluviae arcenda” juxta Forcellinium. Umbella revera ab ancillis romanis gestata —ita amphoris antiquis exprimitur— supra caput matronarum expandebatur. Apud Martialem (14, 28) legimus: “*Accipe, quae nimios vincant umbracula soles*”. Juvenalis poeta (9,50) umbellam quoque commemorat.

Umbella ergo ab antiquis adhibita est ut a pluvia et sole sese defendarent. Cujus rei hoc simulacrum in Germania effossum testimonium edit. Alia subtilia peritis relinquamus.

Vir literatissimus Franciscus Aloise politusque poeta latinus: multoties nobili lauro coronatus, cuius carmina —difficili quadam facilitate composita— auribus teretibus sunt apta, poemata graeca ex lingua latina et italica conversa, in lucem nunc edidit, quo ostenditur cl. v. Franciscus Aloise cum latinas tum graecas litteras aeque amplexatus, poeta esse perfectus. Epigramma legit quod simplicitate plenum Francisco Rebelo González in Lusitaniae studiorum universitate professori dicatum scripsit:

Gratulor et grates mille rependo tibi.
Grato animo libros accepi, docte poeta,

Quod poeta ipse noster ita in linguam graecam convertit:

Εὐθύμως ἔλαζον βιβλιους. λιγύφωνος ἀέιδε.
συγχαίρω, μεγάλας καὶ χάρι τάς σοι ἔχω.

Cimus. Vir J. Pijoan in rebus Archaeologicis versatissimus, affirmat ritum antiquissimum apud Cretenses adhibitum, qui est inscriptio "taurokathapsia" (vox promanans a verbis graecis ταῦρος taurus et = χαθάπτω = tangere, offendere) nostris diebus adhuc extare... Juxta J. Pijoan antequam taurus ad aram mactabatur, ut di placarentur, antistita, adolescentibus seu κοῦροι circumdata, nodoque rituali caput ornata, taurum agitabat, id est plus faciebat minusve quod nostra hac aetate taurorum agitatio dicitur.

Gnossi picturae feminarum inventae sunt quae tauros —ut nostri taurarii priusquam mactantur, elidunt. Ex quibus peritissimus vir Carolus Aloisius Alvarez colligit taurum *significare virilitatem* —vim procreaticem—, taurarium vero *quid femininum*... Qua de causa cl. v. Vincentius Zabala, quoad nos-tros taurorum cursus attinet, agitatorem affirmat vestimentis splendidibus induitum, comisque ornatum, feminam mactatorem antiquam commemorare; ideoque viribus tauri hasta spiculisque imminutis, taurorum agitationem ener-vari...

Diem supremum obiit

Pampilone in Hispania cl. P. Henricus Martija, C.M.F. amicus sodalisque nos-ter, qui aetate florens non solutam modo orationem excoluit, verum etiam poe-ta latinus in primis fuit elegantissimus, cuius facilitas, concinnitas, modus di-cendi pressus aliaeque virtutes neminem eorum qui de facie eum novimus fu-giunt. Poetam exstisse P. Henricum praeclarissimumque poetam sine dubio asserere possumus, cui fuit propositum Horatium imitari atque exprimere. Pa-laestram Latinam consule venustaque, lector, invenies carmina quae tibi ma-ximo erunt oblectamento.

Lege exempli gratia carmen quod inscribitur "*Columnam ducem habemus*" cuius hoc est initium:

Qui cupis hispanos fines lustrare, viator,
si libet, ad fluvii litora siste pedem.
Ecce vides urbem egregiam quam rex fluviorum
perluit undanti clarus Hiberus aqua.

(Pal. Lat. N. 59, mens. Januario-Februario, ann. 1940)

vel primam stropham poematis "*Pio XII Pontifici Maximo*" dicati:

Salve quem ovilis constituit ducem
Christus Redemptor, teque per ardua
mundi viarum jussit agnos
pascere et ad patriam referre.

(Pal. Lat. N. 73, mens. Mayo et Junio, ann. 1942)

In pace ergo quiescat qui pro cultu latino fovendo, pro animis verbum Dei praedicando servandis, totis viribus adlaboravit.

JESUS ARAMENDIA, C.M.F.

In Seminario Claretiano Professor

BARBASTRI (in Hispania)

B I B L I O G R A P H I A

ALADAR VON WESENDONK, *Geister Brandy Cocktails*. Heimeran, Munchen, 1963, 238 págs.

Editores Domus Librariae Heimeran qui ita in edendis classicis scriptoribus peritissimi videntur tanquam si e priscis amphoris antiqua vina in vasa nova transfunderent, parvo nunc volumine nobis praebent summam quandam formularum ad varie parandas potiones ex permixtione liquorum, vinorum, sucorum, herbarum, ceterorumque, quas exquisitissimum subtilissimumque palatum suaviter degustet.

Aladar von Wesendonk —qui librum paravit— praeterquam sollertissimus in hujus modi permixtionibus quae vulgo “cocktails” dicuntur, est etiam homo salsus atque festivus, qui nobis pocula cum sapidis mixturi sapidisque verbis largitur: “Hoc libro, bibule amice, dilectissime Thebane (?), scientiam bene potandi invenies in papyris reconditam novoque capite auctam”.

Hujus libelli ope reperies permixtiones omne genus quae ab hominibus omnium gentium sunt excogitatae quaeque in familiaribus coetibus omnium mirationem facient convivisque vel amicis in deliciis erunt.

MARIANUS MOLINA, C.M.F.

BYRNE, TH. P. — *Facete dictum*. The Classical Bulletin, St. Louis University, St. Louis, Mo. (Indiana), 1953, pp. 80.

Hoc opusculo continentur viginti breves narrationes latine conscriptae, cum notulis anglicis, quo qui latinae linguae dant operam facilius percipi-

piant. Narrationes lepidae quidem sunt et variae; sunt praeterea optime et colore latino exaratae; unde non est ambigendum eas pueris et adulescentibus in deliciis fore. Vocabularium, quod in fine operis est (pp. 42-79), adjumento quidem erit ut auctor finem optatum melius adipiscatur. Sunt menda nonnulla, ut ex. gr. in pagina 7, *nunita pro nuntia*. Ceterum opusculum magnopere commendandum credo, ut in scholis pueri nostri linguam latinam quasi ridendo discant.

J. JIMÉNEZ DELGADO, C.M.F.

HEINZ, ANNEMARIE. — *Der Wortschatz des Jean Mielot*. Wilhelm Braumüller, Wien-Stuttgart, 1964, pp. 152.

Opere quod ante oculos habemus continetur dissertatio ad Lauream in Facultate Philosophica Vindobonensi obtinendam. In ea Joannem Miélot scriptorem gallum et clarum saeculi XV interpretem auctor proponit, praesertim in operibus, quibus indices sunt: *Miroir de la Salvation humaine*, *Miracles de Notre Dame*, *Proverbes selon l'ordre de l'ABC*. *Advis directif pour faire le voyage d'oultremer*.

Auctor verba imprimis ab interprete usurpata inquirit tum quae Latinitatem quandam redoleant tum cetera quae sensum singularem exprimant, singulaque diligenter confert cum aliis verbis gallicis magis in usum; nec loca scriptaque praeterit ubi haec singula verba adhibentur. Est re vera opus magni laboris, quod iis praesertim qui romanicis studiis dant operam multum prodesse potest.

J. JIMÉNEZ DELGADO, C.M.F.

K. ZIEGLER - W. SONTHIEMER, *Der kleine Pauly Lexikon der Antike*. Alfred Druckenmüller Verlag, Stuttgart, 1962-64; Lieferung 1-6: *Aachen — Coloniae*.

Quamquam sub indice Parvi Lexici hoc opus vulgatur, parvum tantum est si cum magno lexico a Pauly et Wissowa edito conferas; sed re vera non parvum sed magnum est, et pagina- rum mole et rerum pondere. In eo enim continentur ea omnia quae qua- cumque ratione ad antiquorum classi- corum scientiam pertinent, eaque non obiter et cursim ex magno illo lexico desumpta, sed ex integro elaborata et accurate disposita a sapientissimo quo- que in singulis rebus viro. HABES ex. gr. vocem "Cicero" a clmo. Carolo Büch- ner presse et enucleate per columnas 1174-1186 explanatam, cum notitia, in fine vocabuli, eorum operum majoris momenti et recentium quae ad rem pertinent. HABES praeterea alias vo- ces, ut **Aberglaube**, **Accius**, **Achileus**, **Alexandros**, **Apollonios**, **Athenai** (cum tabula picta hujus notissimae civita- tis), **Augustus** (nihil de Aurelio Augus- tino quia, Lexicon ad ejus aetatem non pervenit), **Basileios**, **Brintannia**, **Campania**, quae mihi melius explana- tae visae sunt, quamvis ceterae voces laude quoque dignae sint.

Unde non possumus non commen- dare magnopere hoc, ita dictum, Par- vum Lexicon, iis omnibus qui in litte- ras vel disciplinas classicas in qua- cumque earum dizione enixe incum- bunt.

J. JIMÉNEZ DELGADO, C.M.F.

ARAMENDÍA SEGURA, JESÚS, C.M.F., *Roma, Gentium Domina*. Tercer Curso de Latín. [Latium: Gramática y Textos Latinos, obra preparada ba-jo la dirección y con la colabora- ción del P. José María Mir, C.M.F.] Cocolusa, Madrid, 1964, págs. 294, 25x19 cmm.

Latium, opus quod, Josephi M. Mirii consilio et opera, Palaestrae Latinae scriptores novam rationem et viam linguae latinae, ad normam Constitutionis Apostolicae "Veterum Sapientiam" prosequentes, recens edendam constituerunt, nunc demum tertio volu- lumine auctum et ditatum est cura et sollertia Jesu Aramendía, barbastren- sis magistri, confecto.

Plura in hoc volumine placent. Pla- cet in primis totius operis consilium et ratio, placet et ipsius operis ad un- guem effectio, placet et accurata rerum et imaginum dispositio, placent omnia et singula, sive litterarum for- ma, convenientia, mensura, sive nobi- le chartae genus, sive typographorum sollicitus et perfectus labor.

Primas in singulis lectionibus fert partes vivida itineris descriptio. Duo pueri —Lucius et Quintus— iter insti- tuunt ut totum Romanum Imperium peragrent et cognoscant. Ostia pro- gressi in Siciliam pergunt; transiliunt in Africam, Hispaniam percurrunt et Galliam; Romam redeunt unde iter prosequuntur ad Italiam et Graeciam, tot antiquorum monumentis, civitati- bus, notitiis ditissimas regiones, ipsi per se cognoscendas. Haec itineris des- criptio, quae varia est nitidaque auc- toris ingenium maxime commendat et pueris in deliciis erit.

Ex hac itineris historia seu descrip- tione gramaticales regulae depro- muntur, quae ansam praebeant et Grammaticae et variis exercitiis, quae ut lectione, scritio, colloquiis pueri quasi per jocum sensim sine sensu ad cognitionem et usum latinae linguae perveniant.

Neque tantum latinam linguam cu- rat auctor. Variis notulis et imagini- bus apte per totum opus dirpersis, in- tendit etiam ut alumni in Geographia antiquorum populorum, in institutio- nibus, praesertim in historia, in arte, in litteris latinis apprime versati

exeant, unde praecipuorum latinorum scriptorum non tantum selecta loca vertenda proponuntur, sed etiam summa ipsorum vitae et operum hinc illinc traditur cuius ope ad cognitionem singulorum eorum facile pueri ducantur.

Ut in omni humano labore, sunt et in hoc opere nonnulla menda seu errata, nonnulla etiam quae in posterioribus editionibus in melius erunt ducenda; quod tamen non obstat quominus opus magistri Aramendia omnino laudandum et commendandum omnibus enixe et magno animi gaudio proponamus.

J. JIMÉNEZ DELGADO, C.M.F.

CHAUCHARD, PAUL. — *El ser humano según Theilhard de Chardin*. Barcelona, Editorial Herder, pág. 229.

Nemo est qui ignoret Patrem Teilhard de Chardin virum esse magna sentiendi praeditum virtute; sed cum modus quaestionum porponendi et investigandi a scientificis vere novus ducatur, doctrinaque ab eo proposita cum doctrina quam a majoribus accepimus configere videatur, nostrae aetatis philosophi clarum v. Teilhard de Chardin insimulant quod ex campo scientifico, in quo ille maxime eminet —ut ita dicamus— excedens, philosophus mediocris reddatur. Quare doctori Paulo Chauchard biólogo et in re physiologica peritissimo propositum hoc libro fuit efficere ut doctrina Patris Teilhard non tantum non damnosa, sed contra utilis esset et aestimatione digna.

En, lector, septem ex quibus liber constat quaestiones:

I.—La fenomenología científica, su naturaleza y su espíritu.

II. Fenomenología científica de la conciencia.

III. Fenomenología científica de la evolución biológica y de la historia humana.

IV. Fenomenología científica y religión.

V. Fenomenología científica y filosofía tomista.

VI. El realismo de Teilhard, el problema del mal y la esperanza cristiana.

VII. La resacralización de un mundo profanado.

Clari viri Chauchard subtile opus non tantum eorum qui his rebus vacant intererit, sed etiam omnium qui nostro tempore vitam agunt.

JESUS ARAMENDÍA, C.M.F.

ZUCCARELLI, UGO. — *Antología Tacitiana, introduzione e commento*; Carlo Signorelli editore, Via Carlo Botta, 16, Milano, pág. 130.

Doctissimus Ugus Zuccarelli apud litterarum latinarum cultores ex scriptis suis maxime notus, opusculum breve legentibus praebet, quod magnae sane utilitati et adjumento cum magistris tum alumnis fore speramus. Liber constat duabus partibus: prooemio (pág. 7-27) et Taciti textu (pág. 29-130). In prooemio summatim facta afferuntur quae maxima arte ratione que vere scaenica Tacitus in Annalibus describit. In altera libri parte loci ex Annalibus a cl. v. Zuccarelli excerpti ad Neronis vitam spectantes, proponuntur cuius truculentia et trucidatio signa fuerunt imperii ejus propria (Hinc prima mali labes!)

Taciti textus permultis eisque uberrimis commentariis historicis, litterariis, grammaticis ornatur ita ut plus quam dimidia libri pars notulis dicetur. Quibus commentariis Taciti historiarum loci a docto v. Zuccarelli collustrati, non tantum faciles sed etiam amoeni —cum Neronis res ex sua vi animum commoveant— ad conversionem redunduntur.

SERVATOR AGUIRRE, C.M.F.

ZUCCHELLI, BRUNO. — ΓΗΘΟΚΡΙΤΗΣ, *Origine e storia del termine*; Istituto di Filologia classica, Genova 1962; pág. 111.

Ut auctor ipse in praefatione asserit de vocabulo agitur graeco quod a scriptoribus antiquis varia significatio usitatum est; ideoque difficile est rem plane, distincte definire.

Et in primis cl. vir Brunus Zucchelli totis viribus exquirit quid verbum hoc apud Homerum valeat (pag. 9-27). Quod ut assequatur, locos affert Homeri scriptorumque de re testimonia sive antiquorum sive hujus aetatis subtiliter aestimat atque judicat. Juxta cl. auctorem Zucchelli vocabulum ὑποχριτής (quod ad verbum ὑποχρίεσθαι pertinet), hanc habet significacionem: **“esprimere un judiz io”** (χρίεσθαι) **in base ad una intima e meditata convizione** (ὑπο-. In capite II^o (pag. 29-55) agitur de usu vocabuli ὑποχριτής in tragedia classica; in capite III^o (pag. 57-73) de proprietatis bus praecipuis quibus ὑπόχρισις dramatica induita est deque vocabuli usu in arte rhetorica quaestio agitatur; in capite IV^o (pag. 75-96) de nova significazione disseritur quam vocabulum ὑποχριτής accepit (“**Idea della simulazione**”) quaeque latinae linguae christianaee opera in hodiernis linguis inventa est.

Fasciculus absolvitur ditissima bibliographia (pag. 99-103) quo plus quam centum libros de re auctor lectori offert, et amplissimo locorum in fasciculo commemorato un indice (pag. 105-109).

Clmo. auctori Bruno Zucchelli ex

animo ergo gratulamur quod parvo libro operam dedit ut quaestio haec de vocabulli ὑποχριτής significatione “su basi il più possibile sicure” expediret.

SERVATOR AGUIRRE, C.M.F.

DAL SANTO, LUIGI. — *Cammei Pascoliani*; Biblioteca de la rivista di Studi Classici edita e diretta dal prof. Vittorio D'Agostino, Torino 1964, pág. VII-XLVI et 1-253.

Optimo hoc volumine carmina colliguntur a Joanne Pascoli, qui e vita anno 1912 discessit, condita; poetam illum dico praeclarissimum qui quodam quasi divino instinctu afflatum, ad Camenarum domum animos poematis suis trahit.

Cum vero melica poemata Pascoliana in tres series sint dispertita, quibus nomen “Cammei”, “Gemme” et “Carmena”, hoc libro unum et viginti poemata brevia ab Aloisio dal Santo praebentur lectori, seu ea quae ex quattuor ad viginti et unum versus complectuntur.

Libro praemittitur praefatio (pag. VII-X) qua proponitur ratio atque finis libri, alterum sequitur prooemium (pag. XI-XLV) ubi de ordine, chronologia, compositione, de legibus metricis, de carminum inscriptionibus, de argumento, de mira carminum pangerorum Pascoliana arte scite disputatur. Pars quae ad climi. paetae Pascoli carmina exponenda, perpendenda et commentaris collustranda dicatur (pag. 1-253), optima est, nostra sententia, et digna quam omnes litterarum latinarum cultores maximis laudibus cumulent. Unum et viginti poe-

mata libro continentur, quorum quodque hac via et methodo enodatur: Proponitur primum carmen sive latinum sive graecum quod sequuntur adnotations de re metrica, de lexico, de verborum proprietate, de elocutionis ratione, de poematis explicatione et appendix qua poema Pascolianum conversionibus sermone italico factis, bibliographia aliisque explicationibus illustratur. Commentarium de elocutionis ratione seu de re stilistica maxima cura, arte et amore a cl. v. Aloisio del Santo exaratum, studiosos — in quorum numero referimur — maxime juvabit.

En nobilissimi illius poetae Joannis Pascoli, qui Vergilii et Horatii fuit aemulus, melicum poema cuius venustatem, artem, musicam ipse percipies: Decidit assidue lentissima nocte silenti nix: audi, lenis sub tecto cista movetur. Parvulus infelix luget digitumque la-

[bellis

sugit; anus cantat... sustentat dextera mentum...
"Mult'a rosa est" cantillat anus "sunt
[lilia multa.

Non procul a lecto viridis, puer, hor[tus odorat".

Ecce puer viridi sensim obdormiscit in
[horto:
lenta cadit tenebris intentis assidue
[nix.

Quare de volumine hoc in lucem edito grates clmo. Aloisio dal Santo persolvamus maximas, cum utilissimum idque jucundissimum litterarum latinarum amatoribus ducamus.

JESUS ARAMENDÍA, C.M.F.

UNIVERSITÁ DI GENOVA - FACOLTÁ DI LETTERE. — *Lanx satura* Nicolao Terzaghi oblata, Istituto di Filologia classica e medievale, 1963. Fratelli Pagano, Tipografi editori, Genova, via Monticelli, 11. Pag. 354.

Agitur de miscellaneis philologicis cl. professori Nicolao Terzaghi "insigne figura di studioso e di maestro" dicatis, cuius animi ardor et studium per totam vitam in scientias philologicas et institutionem juvenum indefesse incubuit. Qui vir ita fuit praestantissimo ingenio praeditus ut facinus difficile esse videatur opus cl. v. Nicolai describere, nam de litteris graecis, de philologia Byzantiorum, de textuum critica, de metrorum ratione summa eruditione disputavit, multa acumine suo collustravit.

Nonnullae libri praecipuae commentationes lectori offerimus:

M. Bonaria, Nicola Terzaghi; G. Barabino, Saggio di bibliografia sul Dyscolos di Menandro; G. Bartolini, La lettera prefatoria di Irzio all' VIII libro di B.G.; M. Bonaria, Ad alcuni frammenti saffici "incerti libri"; H. Della Casa, Vindiciae Archilochiae: P. Giuffrida, I due proemi del De inventione; V. Longo, Deus ex machina e religione in Euripide; I. Mariotti, Horret et alget; C. Pasqual, Papiri inediti genovesi; M. Zicari, Note a Petronio e a Marziale.

SERVATOR AGUIRRE, C.M.F.

RISUM TENETATIS

VETERA NOVA FIUNT

Forsitan credideris ingenuo animo priscum cultum qui apud veteres homines in usu fuerit, e conspectu nostro prorsus evanuisse, incredulusque arriseris cum te certiorem fecerim multa quae nostra hac aetate nova ducuntur, ea ab antiquis jam adhibita esse... Scias oportet homini a priscis temporibus vitam quam optime vivere placuisse.

En curiositatis vel amoenitatis causa nonulla antiqua quae nova hodie aestimantur:

Duo milia abhinc annorum naves fuisse constat quae etsi non celeritate, luxu tamen quidem navibus hodiernis longe praestare videntur. Navis enim illa Ptolomaeis ingens sex mille remigibus, quadringentis servis instructa erat. Varias habebat aulas, cenacula, oecos; navis haec —visu digna— bibliotheca ornata erat, viridario, piscina, fontibus, arboribusque florentibus. Cui similis navis fuit Hieronis Syracusarum regis.

Nuntii qui per telegraphum hodie mittuntur, ignium signis antiquitus fiebant. Qua ratione Ilii casus —plus quam tria milia abhinc annorum— Graecis transmissus est. Gentes quoque persae fumi signis litterarum ordinem excogitarunt.

Cursus publicus per aëriam navem, ante quinque mille annos ab Aegiptiis inventus per columbas nuntias perfectus est. Quae columbae summa celeritate unoque volatu sexcentorum chilometrorum iter faciebant. Hoc transmisionis instrumentum tanto fuit antiquis commodo ut et a privatis adhibitum sit.

Urbes floruerunt magnae —Athenae, Roma, Babylon— nostras civitates luxu aemulantes, quae septem immo constabant contabulatis. Tyri et Sidone domus fuerunt quae decem contignationibus erant instructae.

Romae nobilium domus aeris calidi via hiberno tempore incalescebant. Horologia excitatoria, pupae luteae, tachygraphia in usu quoque erant.

Summatim multis quae hodie unice nostra, vereque aestimantur nova, antiqui homines utebantur.

Est quod priscas illas gentes hujus aetatis homines summo honore prosequamur.

TITULUS SEPULCRALIS

Semiramis Assyriorum regina, suo sepulcro haec verba insculpere jussit:

—“Quisquis pecuniis eget, hoc aperiat sepulcrum, divitiarumque copiam inveniet”.

Darius inscriptione allctus, sepulcrum aperiri jusit haecque verba in lapide vidi insculpta:

—“Nisi cor tuum insatiabili rerum cupiditate torqueretur, sepulcra non peteres ad mortuorum quietem violandam”.

DEOGRATIAS MOSAKA

GEMMAE TANTUM

Arabs quidam iter per desertum faciens, aberravit; qui cum quattuor dies non manducasset, redactus eo est ut fame periret.

Ad puteum casu, quo viatores adaquare camelos solebant, parvum in sabulo invenit sacculum. Quo tentato,

—Deus adest! inquit, sine dubio, dactyli sunt aut nuces...

Spei plenus aperire sacculum properavit et dolore affectus exclamavit:

—“Gemmae sunt et margaritae; si saltem nuces essent...”

SABINUS DELGADO

Noli fidem somnis adjungere

Rege quodam cum doctissimis regiae dominis sermonem conferente, deque somnis cum eis agente, servus:

—Nocte superiore, inquit, domine, me a te equitem factum esse somniavi; meque a te rege equo instructum esse.

Quibus verbis hoc rex dedit responsum:

—Si ita res accidit, aequum est somnum tuum ad effectum perduci.

Itaque eum rex equitem creavit, epulisque lautissimis donavit.

Quae cum aliis servus regiae cupidus audiret, regemque cum iisdem principibus doctissimis de somnis colloquentem vidisset, ad eum accedens:

—Nocte superiore, inquit, domine, te mihi amoenissima villa muneari somniavi...

Aviditatem tamen rex atque servi fallaciam cognoscens respondit:

—Abi, serve, noli fidem somnis adjungere...

Quo servus est delusus.

SERVATOR ACUIRRE

Oraculi responsum

Miles oraculum sciscitatus est num in praelio moreretur. Qui hoc responsum accepit:

—*Ibis redibis non morieris in praelio.*

Miles hac notavit orthographia quod ab oraculo acceptus est:

“*Ibis, redibis; non morieris in praelio*”

In praelio ivit et in praelio miles est mortuus. Cumque uxor de re oraculum quaeretur, hoc responsum accepit:

—Oraculi verba non recte conjux tuus interpretatus est.

En responsi sensus:

“*Ibis; redibis non: morieris in praelio*”

JESUS ALONSO

DIANTHUS

Formosum in viridario dianthum topiarius colebat, cuius vividi colores et suavis odor spectatores omnes oblectabant.

Dominus quondam et femina in viridarium ingredientes, ad florem admiratione affecti constiterunt.

Tum dominus:

—Nihil, inquit, novi in dianthi coloribus; odor tamen eximius est et suavissimus.

—Stulta dicis, respondit femina: lepidissimi quidem sunt colores, odor tamen, pro dolor! nec minimus quidem percipitur.

Topiarius illos aliter sentire non intellegebat; dominum tamen animadvertisit myopem esse, feminam udo laborare noso.

—Me miserum! topiarius exclamavit. Quod meo diantho tam formoso et fragranti, formosissimus saepe et perfectis rebus accidit.

THEOPHILUS JOVEN

AD SALTUM EQUI

◆	◆	VIS	◆	◆
◆	OR	◆	FOR	◆
◆	TA	◆	U	◆
◆	◆	II	◆	◆
◆	◆	NI	◆	◆

JOSEPHUS M. MARTINEZ

CAMPANULA

Adulescens quidam rusticus, cui nomen Paschalis, vaccas suas in nemore custodiebat. E collo singularum animantium campanula pendebat. Vacca pinguis erat quae pulchellam campanulam gestabat atque sonoram. Quo vacca loco esset quoque erraret, campanula adulescens cognoscebat.

Accidit tamen ut quodam die advena illuc transiret et Paschalem petens,

—Quam pulchella, inquit, vaccae est campanula! Quanti est, amabo?

Tunc Paschalis:

—Tribus pesetis campanula stat.

—Tribus tantum pesetis? Minimo habetur pretio.

Sex ego tibi pesetas solvam si campanula mihi donaberis...

Paschalis nec opinato campanulam adventae dedit, laetusque in crumenam pecunias recondidit. Sed cum vacca campanula caret, adulescens scire nequibat ubinam vacca esset. Itaque advena in dumeto absconditus eam ex armento discedentem facile surripuit...

Unde efficitur ut parvula maximi saepe sint momenti.

CAROLUS LÓPEZ

TYRTAEUS POETA

Lacedaemonii, cum clades nonullas ab hostibus accepissent, Delphicum Apollinem quondam consuluerunt; qui ab Atheniensibus ducem petere monuit.

Illi irridentes in Spartam magistrum quendam ludi, Tyrtaeum nomine —altero pede claudum, in re militari imperitum— miserunt.

Sed Tyrtaeus poeta erat et vir sapientissimus. Qui Lacedaemoniorum animos bellicis carminibus recreavit, ut spes vincendi Lacedaemoniis redintegraretur. Ex quo effectum est ut hostes vincerent.

Tum civitatem ei tribuerunt atque jusserunt pueros ejus carmina ediscere atque feriis solemnibus canere.

FERDINANDUS ZABAleta

SIDERUM CANTILENA

Musice aptavit C. ARAMENDÍA

Verba M. MOLINA

The musical score consists of three staves of music for three voices. The top staff is for 'BC' (Bassus Cantus), the middle staff is for another 'BC', and the bottom staff is for 'G' (Tenor). The music is in common time, with a treble clef and a key signature of one flat (B-flat major). The lyrics are written below the notes, corresponding to the vocal parts.

Armen-ti som-ni-is in-cum-bunt
tene-brae fit quies an-ge-li-que radi-

con-fu-xunt au-reo - os

1. Armenti somniis incumbunt tenebrae.
Fit quies angelique radios
contexunt aureos.
2. Armenti somniis incumbunt tenebrae.
Luna teterimi per nubila
caeli progreditur.
3. Ecce in culminibus aurora exoritur.
Lenta, assurgente sole, sidera
in caelis abeunt.
4. Ecce in culminibus aurora exoritur
totaque lumine nunc aureo
vallis perfunditur.

BIBLIOGRAPHIA

BATTISTA PIGHI, GIOVANNI. — Catullo Veronese, 3 vol. Edizione promossa e patrocinata dalla cassa di Risparmio di Verona Vicenza e Belluno; I vol. pag. 142, II vol. pag. 106, III vol. pag. 103.

Ex permultis operibus eisque nobilissimis quae de Catullo Veronensi poeta palam edita sunt, pauca inveniuntur, ut mea fert opinio, quae arte, labore, pondere, perfectione huic operi quod **Palaestrae Latinae** lectoribus offerimus praestiterint. Et quia “**Verona era in debito con suo poeta**”, clmus. vir Joannes Baptista Pighi luculentissimus Veronae scriptor Catullique quaestiones peritissimus existimator, opus hoc magnum agressus est: colligere omnia quae de Veronensi poeta proximis his saeculis sint evulgata, iisque summa cura exquisitis, recognitis, optima haec tria volumina studiosis praebere. His praemissis, ad opus ipsum Joannis Baptista Pighi veniamus.

Tribus constat libris —nitida charta, eleganti tegumento, typis pulcherrimis ornatis, rerumque dispositione miro ingenio conscriptis—. Volumen primum prolegomenis, secundum Catulli carminibus, tertium conversioni in Italicae linguam dicatur eorum carminum quae superiore volumine afferuntur. Primum volumen prooemio constat, quo de occasione operis disputatur. Quinque sequuntur capita, ab auctore “libri” appellata, quibus variae a clmo. viro Jeanne moventur quaestiones; in primo capite (pag. 3-21)

cujus “**Cronologia e prosopografia**” est titulus, de Catulli annalibus, de indice chronologico carminum, deque nominum serie quae Catullus poematis suis commemorat auctor agit; in secundo capite (pag. 21-35), “**Tradizione del texto**” quaestiones magni momenti proponuntur de scribendi ratione (Catulli fama et nomine editiones multiplicatae sunt, quae emendationi non faverunt), de codicibus primigeniis, de textus fragminibus; in capite tertio (pag. 35-50) de his tractatur quae Catulli linguae sunt propria, deque usu numerorum quos a Graecis poeta Veronensis accepit; sequitur caput quartum (pag. 51-90) cui et nomen “**Note esegetiche e critiche**” quo sollerter ab auctore adnotaciones ad geographiam, exegesim et textus criticam relata proponuntur, quibus textum Catulli primigenium auctor constituit; quintum caput “**L'età di Catullo**” (pag. 93-130) non a Joanne Battista sed a clmo. viro Guido Achille Mansuelli indefesso auctoris socio et in re Catulliana doctissimo, compositum est. Quo magni ponderis evolvuntur questiones de Catulli mundo seu de historicis conditionibus quibus vitam degit, de urbe Roma et Imperii provinciis medio saeculo primo a Ch. n., de Transpado, de artibus et vita politica, de Verona (“**Venetorum angulus**”), Catulli patria, de villa cuius nomen “**Sirmio**” quae chronologia aliisque rationibus eadem videtur esse atque Catulli Valerii villa. Tandem aliqua adduntur de poetae in Asiam Minorem itinere. Primum hoc volumen absolvitur nota

bibliographica et indice ubi quadraginta imagines pictae ab auctore allatae describuntur.

Volumen secundum quo carmina Catulli praebentur, in duas partes dispertit quarum prima 116 poematis latinis, altera 7 poematis graecis in sermonem latinum conversis constituitur. In postremo libro index additur viginti imaginum versicolorum quibus explicatio apponitur.

Volumen tertium quo opus Joannis Baptista Pighi perficitur conversio in linguam italicam lectoribus offertur. De ea haec auctor plane asserit: "è soltanto un' onesta e, spero, corretta interpretazione del texto latino, condotta in modo che, chi voglia, possa leggerla quasi come un' interlineare, e, chi voglia, se la legga senza ricorrere al latino" (vol. I, pag. 51).

Conversio quae fluida, pressa, elegans nobis videtur, non soluta prosa, sed carmine soluto —ita hodierni dicunt— ut forma exprimendi aptiore, qua in linguam vernaculam Catullus convertatur. Tantaque vero fuit auctoris cura in Catullo vertendo ut tot, lector, versuum numerum a cl. v. Joanne Baptista italice redditorum invenias, quot sint a Catuio Veronensi poeta versus conditi. Quae magna est auctoris laus.

Volumen clauditur indice viginti imaginum variis depictarum coloribus quibus, ut superioribus libris, brevis notitia additur.

Ex his quae praemisimus asseverare possumus opus clmi. Joannis Battista Pighi optimum esse, summoque ingenio et studio elaboratum, cum a viro sit compositum qui, Catulli in pa-

tria natus, quaestionumque Catulli peritissimus, primus fuit scriptor Veronensis a quo parata est "in sette quaderni di bella scriptura la prima edizione integra di Catullo..., la prima da quando fu inventata la stampa..." (Prólogo, pág. VII)

Laudibus ergo doctissimum v. Joannem Baptista Pighi et socios cumulemus maximis qui tantum evulgarunt opus.

JESUS ARAMENDÍA, C.M.F.

DELLA CASA, ADRIANA. — *Le concordanze del "Corpus Tibullianum"*; istituto di filologia classica e medievale, 1964, università di Genova. Pag. 234.

Summo gaudio hunc accepimus librum a clara femina Adriana della Casa conscriptum, cum opus esset quod a studiosis latinarum litterarum jam diu desideraretur. Certum est enim —in lucem editis concordantiis operum Vergilii, Horatii et Ovidii — neminem Corpus integrum Tibullianum hactenus collegisse, eo praesertim quod tertius hujus Corporis liber aliis poetis sit tributum. Integrum merito dixi Corpus, nam alii scriptores indices verborum ex parte pararunt seu non integros, vel mendis multis typographicis maculatos, qui parum utiles sunt ut adhibeantur.

Verborum repertorium in commodissimum est ordinem dispositum ita ut sine mora facilimoque modo vocabulum quocumque invenire possis. Labor ergo auctoris ex omni parte perfectus laudandus est.

Indicem speramus futurum esse magno adjumento poetae Tibulli studiosis, non tantum ad verba invenienda, sed etiam ad usum Tibulli proprium scribendi et ad verborum structuram seu conformationem conferenda atque perpendenda.

SERVATOR AGUIRRE, C.M.F.